







VE
RI
TAS





STATUTA DIŒCESANA

SEU

CONSTITUTIONES SYNODALES

AB ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D.

CASPARE MERMILLOD

EPISCOPO LAUSANNENSI AC GEBENNENSI

EDITA



FRIBURGI HELVETIORUM
TYPIS CONSOCIATIONIS SANCTI PAULI

1887

STATUTA DIŒCESANA

STATUTA DIŒCESANA

SEU

CONSTITUTIONES SYNODALES

AB ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D.

CASPARE MERMILLOD

EPISCOPO LAUSANNENSI AC GEBENNENSI

EDITA



FRIBURGI HELVETIORUM
TYPIS S. PAULI
1885



CASPAR MERMILLOD, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Lausannensis ac Gebennensis, Comes ac Prælatus Solio Pontificio assistens, etc.

Universo Clero Diœcesis nostræ salutem et benedictionem in Christo Jesu.

Ecce prodeunt Statuta illa diœcesana, solo quidem nomine Auctoritatis nostræ episcopalis in nostra synodo publicata et decreta, antea vero a vobis cum omni libertate ponderata et discussa, a cunctis dehinc religiose tenenda et observanda.

Arduum satis est, statutorum seriem condere, quæ, congruo ordine, simplici stylo, universis vel saltem præcipuis personarum, rerum ac locorum per totam Diœcesim necessitatibus provideant ; singulorum jura, ministeria, obligationes atque onera districtim exponant, temporibus accommodent, hominibus distribuant ; et

hæc ita, ut in omnibus semper et per omnia *honorificetur Deus* et ædificationem sibi continuam acquirat populus christianus. Episcopalis tamen muneris est, Dilectissimi, talia præstare ubi desunt, invigilare ut omnino serventur ubi extant.

Profecto nec Nosmetipsos nec venerandos Prædecessores nostros latebat eam esse mentem Ecclesiæ quæ, sive per œcumenicum Tridentinum Concilium, sive per Romanos Pontifices, pluries Episcopos de celebranda Synodo admonuit. Si angustiæ temporum et alia obstacula hunc actum hucusque prohibuerunt, illum tandem absolvere Nos sivit divina Providentia, et dies auspicatissimos celebrationis primæ nostræ Synodi Diœcesanæ, summo perfusi gaudio, vidimus.

Antistites Lausannenses, quorum auctoritate fulcimur, disciplinæ ecclesiasticæ studio emicuerunt; inter quos duo pretiosissimæ memoriæ Joannes Baptista de Strambino et Maximus Guisolan in condendis constitutionibus Nobis præiverant. Ultimum opus præ manibus habuistis, sed exemplaria exhausta sunt.

Utique leges, tam veneranda antiquitate firmatas, Nos non venimus solvere, sed potius confirmare et adimplere; et ideo easdem ante oculos positas conspeximus, dum unà vobiscum de re tanti momenti tractavimus, vetera numquam desuefacientes nisi in quantum juri Ecclesiæ, Romanorum Pontificum decretis ac Litteris, necnon necessitatibus novis accommodanda se nobis darent.

Plane itaque confidimus in Domino, venerabiles Fratres, hæc Statuta quæ ex purioribus ecclesiasticæ disciplinæ fontibus hausimus, quæque communicatis vobiscum consiliis confecimus, cum filiali reverentia a vobis accipienda esse, pieque ac fideliter servanda.

Nihil sane novi moribus vestris inducent, nihil in vestra agendi ratione immutabunt : quippe quæ apud vos usu jam recepta sunt vobisque quotidiana exercitatione consueta.

Cæterum qui hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia. Bene ministrantes gradum bonum sibi acquirent ; et quum apparuerit Princeps pastorum, percipient immarcessibilem gloriæ coronam.

Denique, venerabiles Fratres, dilectissimique Filii, scitote quia si vobis Episcopus vester tanquam auctoritatem habens obedientiam præcipit, libentius ut Pater suadet, juxta verbum Apostoli ad Philemonem : « Multam « fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi, « propter charitatem magis obsecro. [1] » Lex nostra, lex est amoris et dilectionis ; neque solet subditus præposito suo adversari, nisi quia, legi inobediens, se ipsum amore indignum reputat. « Vos amici estis, « inquiebat Magister, si feceritis quæ ego præcipio « vobis [2]. » Mandatum autem accepimus a Patre « ut « diligamus alterutrum : et hæc est charitas ut ambu-

1. Philem., 9.
2. Joann., xv, 14.

« lemus secundum mandata ejus. [1] » O filii, æmulatores « estote legis, confortamini et viriliter agite in lege « hac, quia in ipsa gloriosi eritis [2]. Vir obediens « loquetur victorias [3]. »

Datum Friburgi Helvetiorum, in ædibus nostris, anno Domini millesimo octingentesimo octogesimo quarto, die quarta Novembris in festo sancti Caroli.

† CASPAR,

Episcopus Lausannensis et Gebennensis.

De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi D. D. Episcopi :

Th. Bovet, *cancell. epis.*

1. II Joann., 4, 5, 6.
2. I Macchab., II, 64.
3. Proverb., XXI, 28.

INDEX JUXTA ORDINEM CAPITUM

Pars I. De Fide.

Pars II. De Cultu.

Pars III. De Disciplina.

IV. Appendix.



CONSTITUTIONES SYNODALES

DIŒCESIS LAUSANNENSIS

PARS PRIMA

DE FIDE

CAPUT I

DE FIDE IPSA

§ 1. *De professione Fidei.*

1. Cum domus Dei, ut ait S. Augustinus, credendo fundetur, merito ab iis quae fidem spectant, ducimus exordium; cumque, teste Apostolo[1], *sine fide impossibile* sit *placere Deo,* omnes parochi, confessarii et concionatores populum sibi commissum frequenter doceant:

a) Illa quae fide explicita et necessitate medii ab omni adulto et rationis compote sunt credenda, scilicet ea, sine quorum explicita cognitione ac fide salus nullo modo obtineri potest, adeoque nec si inculpate ignorarentur ab

[1] Hebr. XI, 6.

adulto. Haec porro certissime sunt saltem illa duo a Paulo recensita [1]: Existentia unius Dei, et Deum esse bonorum remuneratorem. Quibus a pluribus Doctoribus additur probabiliter cognitio Trinitatis et Christi;

b) Ea quae necessitate praecepti scienda et fide tenenda sunt, ut orationem dominicam, symbolum apostolorum, sacramenta Baptismi, Poenitentiae et Eucharistiae, Decalogum et praecipua saltem Ecclesiae praecepta, in quorum praesertim, ait S. Carolus Borrom., dilucida explicatione sacerdotes versentur.

2. Hinc serio recogitent ii sacerdotes, quibus animarum cura commissa est, gravem sibi incumbere obligationem, oves suas omnes nisi prorsus incapaces aut per se aut per alios praedictarum rerum scientia instruendi. Neque facile sibi persuadeant aliquem laborare absoluta impotentia addiscendi quae necessitate medii aut etiam praecepti tenenda sunt.

3. Moneant identidem fideles sibi commissos debiti quo tenentur ad eliciendos saepius in vita et praesertim in mortis articulo actus fidei, spei et charitatis. Cui obligationi ut omnes satisfaciant, districte mandamus ut semel in mense praedictorum actuum formulam infra missam parochialem alta voce recitent parochi aut, eorum vice, concionatores ab iisdem adlecti. Quod si in aliquibus locis Nostrae Dioecesis talis consuetudo obsoleta videatur, omnino volumus ut instauretur ac deinceps ubique retineatur.

4. Nullam esse fidem nisi integra sit atque incorrupta, omnibus manifestum est. Quare omni cura advigilent animarum pastores, ut in tanta colluvie errorum, qui hac nostra aetate ubique tum aperte, tum subdole sparguntur, depositum fidei sancte custodiant ac fideliter exponant, ita ut legitimus sensus veritatum fidei omnibus pro posse innotescat, ac perversae interpretationes quae eisdem

[1] Hebr. xi, 6.

appinguntur ad odium excitandum adversus intemerata Ecclesiae dogmata, prorsus deleantur ac praejudicatae inde opiniones amoveantur. Quod cum efficaciter fieri nequeat, nisi scientiae non exiguae in doctrina rite percipienda atque egregiae perspicuitati in eadem tradenda, jungatur maxima erga errantes mansuetudo et charitas, serio monemus omnes verbi divini praecones, ne acerbitate conviciorum aut incondito verborum tumultu auditores potius arceant quam alliciant, aut mentes potius perturbent quam illustrent, ac memores sint apostolici praecepti: *Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium* [1]; ac rursus: *Servum autem Domini non oportet litigare; sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati; ne quando Deus det illis poenitentiam ad cognoscendam veritatem* [2].

5. Quum praecipui hujus aetatis errores e putido *Naturalismi* seu *Rationalismi* fonte dimanent, huic malo summis studiis obsistant sacerdotes, et qua exemplis qua monitis ostendant quam sancta, quam secura, quam necessaria, quam divinae Majestati debita, quam rebus ipsis humanis proficua, quam demum rationi ipsi consentanea sit humilis subjectio mentis creatae sub infinita infallibilique revelantis Deitatis sapientia. Curent etiam eas urgere Ecclesiae ac Sanctae Sedis constitutiones dogmaticas, quae recentiori aetate adversus grassantes errores latae sunt, quae si firmiter retineantur ac rite intelligantur, nequeunt non inferre pestifero errori lethale vulnus excidiumque irremediabile. Huc pertinet Bulla *Ineffabilis Deus* qua Pius PP. IX definivit: « Beatissimam « Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis « fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, « intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani

[1] II Tim. II, 14.
[2] Ibidem II, 24. 25.

« generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam « immunem. »

Ea enim doctrina cum toto ordine supernaturali necessario ac pulcherrimo nexu cohaeret, ita ut qui eam toto cordis ac mentis affectu retinet, Naturalismo impiissimo sponte resistat.

Huc etiam pertinent quae Sacrosancta Synodus Vaticana definivit de *Fide* deque mutuo respectu fidei et rationis. Huc pariter spectat dogma de primatu Romani Pontificis, necnon de infallibili ejusdem Pontificis magisterio. Ea enim omnia Rationalismum directe debellant atque prorsus refellunt.

6. « Quoniam vero, ut ait eadem Sancta Synodus [1], « satis non est haereticam pravitatem devitare, nisi ii « quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus « minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi « etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae ejusmodi « opiniones, quae istic diserte non enumerantur, ab hac « Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt. »

Idcirco curabunt sacerdotes et clerici ut, quantum fieri potest, prae manibus habeant authenticum textum non solum Constitutionum dogmaticarum sed etiam Actorum S. Sedis quae res fidei plus minusve proxime attingunt, ut sunt epistolae encyclicae Summorum Pontificum quae in dies prodeunt, Acta e quibus derivatus est Syllabus errorum nostrae aetatis a Pio IX editus (ex his enim Actis pendet verus sensus damnatarum propositionum quae in ipso Syllabo continentur), Index librorum prohibitorum, ut sciant quae scripta fugienda sunt nec unquam legenda nisi obtenta legitima facultate, atque ob necessarium aut saltem rectum finem, qualis esset ipsorum errorum refutatio.

7. Tenentur ad emittendam professionem fidei : *a*) Beneficium curatum adepti, prout statuit Synodus Tri-

[1] Sess. III, in fine post Canones *De Fide et Ratione.*

dentina [1]: « Omnes provisi de beneficiis quibuscumque « curam animarum habentibus, teneantur a die adeptae « possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus « ipsius episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus « vicario seu officiali, orthodoxae suae fidei publicam « facere professionem, et in Ecclesiae Romanae obedientiâ « se permansuros spondeant ac jurent. » *b*) Provisi de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, juxta eamdem synodum Tridentinam [2]. *c*) Promoti ad episcopatum [3]. *d*) Doctores et professores publici. *e*) Infideles adulti baptizandi, haeretici ad veritatem fidei catholicae et schismatici ad unitatem S. Matris Ecclesiae sponte redire volentes. Porro formula professionis fidei remittitur ad calcem harum constitutionum.

§ 2. *De periculis Fidei.*

1. Si parochi libros aut icones haeresim vel superstitionem aut falsam devotionem redolentes in plebem suam spargi, si folia, ephemerides aut quaelibet scripta seminari, quae etiam praetextu scientiae provehendae aut colendarum artium liberalium vel cujuslibet utilitatis tuendae, falsa principia ac Religioni bonisve moribus nociva ex industriâ propugnant aut latenter et subdole insinuant, si demum sermones misceri aut quidpiam agi cognoverint contra fidem et cultum Deo Sanctisve debitum, suaviter primo ac repetitis vicibus delinquentes moneant, dein auctoritative pravorum scriptorum traditionem, sermonum et actuum impiorum cessationem imperent, ac demum, si monitis et jussui non paruerint,

[1] Sess. XXIV de Ref. c. XII.
[2] Ibid.
[3] Sess. XXIV de Ref. c. I.

Nos desuper certiores faciant, adversus grassantem pestem remedia opportuna adhibituros.

2. Prospiciant pastores animarum eâ quâ par est prudentiâ et sollicitudine ac maxime privatis monitionibus ne quis catholicus famulandi aut opificium exercendi causâ se in ea loca conferat quae cultu catholico non gaudent, neve apud illos demoretur in quorum consortio fides ipsius periclitaretur. Verum, cum prae hodiernâ societatis conditione, commercia cum acatholicis penitus devitari vix aut etiam nullo modo possint, curabunt parochi ut illi famuli vel opifices in partes acatholicorum non antea migrent quam certiores facti sint se in novo quem amplectuntur statu, omnibus saltem essentialibus suae Religionis officiis satisfacere posse. Ipsos insuper muniant opportunis remediis et cautelis ut, quantum fieri potest, periculum fidei removeatur. Neque omittant admonere parochum aliumve sacerdotem a quo pendet cura illius loci quo se confert famulus sive opifex aut quaelibet persona catholica, ut parochus ille, novi parochiani adventu domicilioque cognito, curam illius suscipere possit.

3. Adolescentium aetas maxime lubrica et ad quosvis excessus prona est. Unde fit ut inimicus omnis boni ejusque impii satellites nihil magis conentur quam ut incautae juventuti laqueos injiciant, inter quos nullus forte exitialis magis quam perversa ratio educationis. Summis ergo curis provideant parochi ne liberi catholicorum tradantur scholis acatholicis vel mixtis aut etiam mere indifferentibus. Nisi enim adolescentes a teneris annis sanctae fidei doctrinis pietatisque officiis undequaque muniantur, haud facile solidus aliquis profectus ac in ipsâ fidei integritate perseverantia sperari potest.

4. Matrimonia mixta quae multis magnisque periculis obnoxios faciunt sponsos eorumque prolem, vehementer cupimus vitari ac prorsus aboleri. Nam praeter gravissima damna quae in detrimentum fidei exinde pullulant,

nemo nescit quanta perturbatio sacrarum profanarumque rerum occasione talium connubiorum exsurgat ex concesso a civili lege falsi nominis divortio. Omni igitur modo solliciti sint parochi ut pro posse ab hujusmodi matrimoniis absterreant. Moneant sponsos catholicos eorumque parentes, damna nascitura exponant, praesentis ac futurae vitae pericula demonstrent; conscientiae, famae, securitatis ac ipsorum bonorum temporalium jacturas ob oculos ponant. Tandem vehementer inculcent, nunquam ab Ecclesia permitti nec sanciri posse hujusmodi connubia nisi ob gravissimas causas ac debitis cautelis de periculis fidei removendis, de catholicâ prolis educatione, deque conamine adhibendo ad conversionem partis acatholicae, serio et solemniter receptis.

5. Invigilent pariter ne quis ex fidelibus sibi concreditis muratorum sectae aut aliis perversis a Sede Apostolicâ damnatis associationibus adhaereat. Ne quis vero in hisce ignorantiam praetexere possit, volumus ac mandamus ut in die solemni primae communionis, publicae votorum baptismalium renovationi addatur clausula : *Societatibus ab Ecclesiâ damnatis me nunquam nomen daturum spondeo ac juro.*

6. Cum satis non sit fidei pericula cavere, nisi fidei robur atque fervor opportunis mediis nutriatur, totius cleri zelum etiam atque etiam excitamus ut, servatis prudentiae normis, utatur variis adjumentis quibus fides catholica servari, augeri, dilatarique potest, prout necessarium aut utile in Domino visum fuerit. Maximae sane utilitatis esse possunt bibliothecae parochiales, diffusio librorum et scriptorum quae bonum Religionis naviter promovent, instituta juventuti excolendae, fidei propagandae, opificibus juvandis christianeque instituendis, matribus familias ad rei domesticae sanctam administrationem informandis idonea ; sodalitates marianae, associationes piae ac probatae quibus viri juvenesque ad varios fines utiles junguntur, servatâ in omnibus normâ ut quidquid Ec-

clesiae auctoritati aut menti adversatur sedulo et caute devitent.

7. Ne vero, ut sunt hominum ingenia ad dissensiones prona, ex talium adminiculorum usu oriantur turbae et simultates e quibus forte bonus exitus qui sperari posset prorsus destrueretur, enixe commendamus ut in hujusmodi operibus serventur regulae prudentiae et charitatis a Sanctâ Sede saepius inculcatae. Quare non piget sapientissima praecepta, quibus SS. D. N. Leo PP. XIII hanc materiam ordinari jussit, hic referre:

« Ad ejus (sc. Ecclesiae) adjuvandam operam eas societates non parum judicamus opportunas quae sunt tanquam auxiliariae cohortes catholico nomini protegendo..... Verum cum sibi proposita sit rei catholicae tutela et amplificatio, resque catholica in Dioecesibus ab Episcopo geratur, sponte consequitur, eas Episcopis subesse et ipsorum auctoritati auspiciisque tribuere plurimum oportere.—Neque minus adlaborandum ipsis est in conjunctione animorum retinendâ..... Quapropter cum sodales facile possint de re publicâ diversi diversa sentire, idcirco ne concordia animorum contrariis partium studiis dirimatur, meminisse oportet, quorsum spectent societates quae a re catholicâ nominantur et in consiliis capiundis ita habere animos in uno illo proposito defixos ut nullius partis esse videantur »[1].

8. Juvat etiam maxime ad pacem Ecclesiae servandam ut ejusdem Pontificis recolantur monita ad scriptores qui catholico nomine gloriantur. « Quod igitur societates monuimus, idem scriptores monemus, ut amotis lenitate et mansuetudine dissidiis, conjunctionem animorum, cum ipsi inter se, tum in multitudine tueantur; quia multum pollet scriptorum opera in utramque partem. Concordiae vero cum nihil tam sit contrarium quam

[1] Epist. Encyclica *Cum multa;* die 8 Dec. 1882, Acta XV, pag. 241.

« dictorum acerbitas, suspicionum temeritas, insimula-
« tionum iniquitas; quidquid est hujusmodi summâ animi
« provisione fugere et odisse necesse est » [1].

9. Hisce temporibus multum disceptatur de mutuo respectu inter Ecclesiam et societates civiles. Qua in re permissis ac in suo valore relictis opinionibus quae intra limites catholicae doctrinae moventur, firmiter retineant sacerdotes ab Ecclesiâ damnari tum systema omnimodae separationis inter rem sacram et profanam, quod vulgo *liberalismus* audit, tum perversa methodus confundendi in unum ac veluti permiscendi utriusque ordinis res et instituta. Primus enim error damnatur in prop. 55 *Syllabi:* « Ecclesia a Statu, Status ab Ecclesiâ sejungendus est. » Alius in prop. 44: « Civilis auctoritas potest se immiscere « rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale « pertinent, » et a SS. D. N. Leone XIII in supra laudatâ epistolâ encyclicâ ad Episcopos Hispaniae: « Verum sicut « iste tam impius declinandus est error (scilicet separa- « tionis Ecclesiae a Statu) sic etiam fugienda est illorum « opinio praepostera, qui religionem cum aliquâ parte « civili permiscent ac velut in unum confundunt, usque « adeo, ut eos qui sint ex alterâ parte, prope descivisse « a catholico nomine decernant. Hoc quidem est factiones « politicas in augustum Religionis campum perperam « compellere, fraternam concordiam velle dirimere, funes- « taeque incommodorum multitudini aditum januamque « patefacere. »

Studeant igitur sacerdotes hos limites orthodoxae fidei sancte custodire nec patiantur ulla ex parte moveri fines quos posuerunt patres nostri. Ita fiet ut multum conferre possint ad unitatem pacemque Ecclesiae ac ipsius societatis civilis. Si quid vero in his salebrosis negotiis gravius aut difficilius occurrat, vel quod praesentibus regulis non

[1] Epist. Encyclica *Cum multa;* die 8 Dec. 1882.

satis cautum sit, ad Nos referant, nec sine Nostro nutu quidquam agant [1]**.**

10. Fides nec rite intelligi, nec firmiter muniri, nec defendi sapienter sine adminiculo solidae scientiae theologicae potest. Quare, sine praejudicio praescriptionum quae circa studium ecclesiasticum suo loco statuentur, volumus ut toto sexennio post adeptum presbyteratum, neosacerdotes quotannis examen subeant modo ac tempore a Nobis designando super materiis theologicis quae anno praecedente fuerint indicatae.

CAPUT II

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA

Dari in Ecclesia hierarchiam auctore Christo institutam, quae est ut castrorum acies ordinata, fidei caput est Scripturis sacris innixum et conciliorum, praesertim Tridentini, auctoritate definitum [2]: « Si quis dixerit in « Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordina- « tione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris « et ministris, anathema sit. »

Porro teste Cypriano, « episcopatus unus est cujus a « singulis in solidum pars tenetur » [3]. At unitas teneri nequit nisi in centro et capite totius episcopatus scilicet in Sede Beati Petri, nam « exordium ab unitate proficis- « citur et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia

[1] Hic in memoriam revocentur Allocutio SS. D. N. Pii PP. IX, 9 Junii 1862 *Maxima quidem :* Littera encyclica 8 Decembris 1864 ; et præsertim propositio LVI in Syllabo damnata circa *naturalismum,* ut aiunt, *socialem.*

[2] Conc. Trid. Sess. XXIII, can. VI.

[3] De Unit. Eccl. cap. V.

« et cathedra una monstretur »[1]. Igitur a Summi Pontificis auctoritate exordiendum est.

§ 1. *De Summo Pontifice.*

1. Teneatur imprimis decretum concilii Florentini[2] a Vaticano instauratum, quo statuitur : « Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum « orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum « successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et « verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et « omnium Christianorum patrem ac doctorem existere ; et « ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi « universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo « plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam « in gestis oecumenicorum Conciliorum et sacris canonibus continetur. »

2. Teneatur declaratio amplior ejusdem primatus a S. Concilio Vaticano sancita[3] : « Docemus proinde et « declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, « super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse ; « erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores « atque fideles, tam seorsim singuli tam simul omnes, « officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus quae ad fidem et « mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen « Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent ; ita ut, « custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam « ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit « unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae

[1] Ibid. cap. IV.
[2] Sess. X, Decret. unionis Graec.
[3] Vatican. Sess. IV, cap. III.

« veritatis doctrina a qua deviare salva fide atque salute « nemo potest......

« Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate « gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse con- « sequitur, in hujus sui muneris exercitio libere commu- « nicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut « iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare « damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc « supremi capitis cum pastoribus et gregibus communica- « tionem licite impediri posse dicunt aut eamdem reddunt « saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae « ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen « Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere « nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

« Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus « Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam « et declaramus eum esse judicem supremum fidelium [1], « et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spec- « tantibus ad ipsius posse judicium recurri [2]; Sedis vero « Apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium « a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus « licere judicare judicio [3]. Quare a recto veritatis tramite « aberrant qui affirmant, licere ab judiciis Romanorum « Pontificum ad oecumenicum Concilium tanquam ad « auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare. »

3. Teneatur tandem dogma de Romani Pontificis infallibili magisterio, ut, cum Patribus Concilii Constantinop. IV° obsequentibus S. Hormisdae Pontifici, dicamus omnes : « Prima salus est rectae fidei regulam custodire. « Et quia non potest Domini Nostri Jesu Christi praetermitti « sententia dicentis : Tu es Petrus et super hanc petram « aedificabo Ecclesiam meam, haec quae dicta sunt rerum « probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata

[1] Pii PP. VI, Breve *Super soliditate*, diei 28 Nov. 1786.

[2] Concil. oecum. Lugdun. II.

[3] Epist. Nicolai I ad Michael. imper.

« est semper catholica reservata religio et sancta celebrata « doctrina. Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime « cupientes speramus ut in una communione, quam Sedes « apostolica praedicat, esse mereamur in qua est integra « et vera Christianae religionis soliditas. » Igitur omnes pleno fidei obsequio confiteantur : « esse dogma divinitus « revelatum: Romanum Pontificem, cum ex cathedra « loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et « Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica « auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa « Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam « ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, « qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda « doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, « ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex « sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles « esse [1]. »

4. Tum ex hac doctrina, tum e praxi perpetua Romanorum Pontificum constat has esse praecipuas partes jurisdictionis ac potestatis Apostolicae Sedis: *a*) Ejus est leges ecclesiasticas, quibus universa teneatur Ecclesia, condere, conditas cum opus fuerit relaxare, poenis in earumdem violatores animadvertere, graviores causas ecclesiasticas peremptorie judicare, appellationes ex orbe universo recipere, judices, si ita placuerit, ad causas particulares aut universales delegare, super rebus fidei, morum et generalis disciplinae relationes undequaque petere et accipere, pravos libros judicio ab omnibus catholicis recipiendo damnare ac prohibere, cum principibus aut guberniis vel quibuslibet rerum civilium rectoribus conventiones inire. *b*) Ejusdem pariter jurisdictionis est quos solvendos judicat solvere tum a peccatis, tum a poenis, tum ab onere legis ecclesiasticae ac subinde etiam divinae ut in votis et in matrimonio rato, partiales aut

[1] Concil. Vatican. Sess. IV, cap. IV.

plenas indulgentias largiri, generale Concilium indicere, eidem vel per se, vel per suos legatos praeesse ejusque decreta confirmare. *c*) Quoniam Summo Pontifici non solum fidelium sed etiam pastorum gubernatio, totiusque Ecclesiae procuratio commissa est, ipse necessario suo jure creat aut instituit Episcopos, illosque in aliam sedem transfert cum bonum Ecclesiae id exigit, eosdem juxta canones propter crimina ab episcopatu dejicit, dioeceses constituit, et plures in unam conjungit aut unam in plures dividit, dies festos ubique celebrandos praecipit eorumque numerum aut pro cunctis aut pro quibusdam tantum locis minuit, rem liturgicam pro universo orbe ordinat ac dispensat, regulares ordines approbat, atque etiam justis de causis tollit; denique, ut plura alia praetermittamus, insignes heroicis virtutibus homines beatorum vel sanctorum albo adscribit.

Ex dictis satis superque patet, nostri esse officii, ut Summum Pontificem maxima prosequamur veneratione, vocem ejus dociles audiamus, decisiones reverenter excipiamus, eidem tanquam centro unitatis adhaereamus, ejus inopiae nostris opibus subveniamus, et ardentes fundamus preces, ut confirmare valeat fratres suos « ne simus velut *parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum*[1]. »

§ 2. *De Nunciis Apostolicis.*

Cum Romanus Pontifex jure divino vi sui Primatus habeat jurisdictionis potestatem vere episcopalem et immediatam super universum orbem catholicum, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae pertinent, illam frequenter exsequitur per Nuncios qui in variis regionibus legationis munere fungentes Summum Pon-

[1] Ephes. IV, 14.

tificem repraesentant et Ejus nomine et auctoritate eas supremi regiminis partes exercent, quas Ipse eis demandavit. Hinc non solum amplior illis, praecellentis dignitatis causâ, exhibendus est honor, sed etiam in omnibus, quae illorum jurisdictioni subjacent, fiduciae plena praestanda est obedientia.

§ 3. *De Episcopis.*

Post Summum Pontificem primum in Hierarchiâ **divinitus** institutâ [1] locum tenent Episcopi, Apostolorum successores, a Spiritu Sancto positi ad regendam Ecclesiam Dei [2]: ipsi sunt veri fidelium pastores, fidei doctores et judices, subordinati tamen pastori universali Romano Pontifici; ipsi praepositi sunt Rectores singulis Dioecesibus; ipsi unâ cum Summo Pontifice constituunt Ecclesiam docentem et regentem.

Duplici pollent Episcopi potestate, ordinis nempe et jurisdictionis, ac sunt quoad utramque jure divino presbyteris superiores [3].

Ordinis potestatem consecratione acquirit Episcopus, ac semel acceptam nunquam amittit. Potestas *ordinis* episcopalis summa est in Ecclesiâ, et tanta in singulis Episcopis quam in ipso Summo Pontifice. Ab eâ manat sive jure divino sive jure positivo ecclesiastico: 1. Omnium Ordinum (etiam Episcopatus) et Confirmationis collatio; Ecclesiarum, Altarium et Vasorum sacrorum consecratio; sacri Chrismatis et sancti Olei tum catechumenorum tum infirmorum confectio; Campanarum, Ecclesiarum (donec consecrentur) et Sacellorum, Coemeterii et Paramentorum ecclesiasticorum benedictio necnon Ecclesiae et Coemeterii post pollutionem reconciliatio. — 2. Ex his

[1] Trid. Sess. XXIII, can. 6.
[2] Act. xx, 28.
[3] Trid. Sess. XXIII, can. 7.

functionibus quaedam ab ipso Episcopo, vel Indulto Apostolico aut privilegio, simplici presbytero delegari queunt : aliae vero ita sunt Episcoporum propriae seu ita episcopali ordini inhaerent, ut nec subdelegari nec ab alio inferiori sacerdote valide exerceri possint.

Jurisdictionis potestatem adipiscitur Episcopus per legitimam Summi Pontificis institutionem in Sedem episcopalem; eamque amittere potest sive resignatione a Summo Pontifice acceptatâ, sive translatione aut alia remotione ab illa Sede. Haec jurisdictionis potestas in Episcopis propria est et ordinaria, non tamen plena sicut in Summo Pontifice, nec independens nec universalis. Ad eam spectat auctoritas quam habet in clericos et laicos Dioecesis suae: in hos quoad res spirituales et sacras, in illos vero etiam quoad plura alia. Hinc Episcopus id juris habet: 1. Ut, ultra ea quae forum internum spectant, statuta et leges condat, quas bono spirituali dioecesanorum opportunas judicaverit, quaeque singulos cum laicos tum ecclesiasticos obligent. 2. Ut sententias in reos, censuras in contumaces et inobedientes decernat. 3. Ut causas ecclesiasticas, et causas matrimoniales [1], judicet. 4. Ut dispenset tum a lege dioecesanâ, tum in quibusdam legibus universalibus a jure sive a consuetudine aut etiam speciali privilegio Apostolico determinatis, ut super bannorum proclamationibus, super quibusdam impedimentis matrimonii impedientibus et super impedimento petendi debitum conjugale. 5. Ut singulas suae Dioeceseos parochias tempore a jure statuto per se vel per Vicarium visitet [2]. 6. Ut novas, ubi oppor-

[1] Trid. Sess. XXIV, can. 12.

[2] Trid. Sess. XXIV, cap. III de Reform. Episcopi propriam dioecesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium aut Visitatorem, si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se vel Visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant.

tunum judicaverit, paroecias erigat, aut earum numerum minuat, atque adeo beneficia curata, a fortiori autem simplicia, vel partiatur vel uniat. 7. Ut vicarios, ubi opus fuerit, mittat, congruasque eis portiones assignet. 8. Ut piarum retributionum taxam statuat. 9. Ut ortas super modo dictis aut etiam super piorum legatorum dispositionibus difficultates definiat. 10. Ut ecclesiarum, capellarum, confraternitatum et hospitalium, nisi ex privilegio vel consuetudine sint exemptae, administrationem examinet, redituumque ac expensarum rationem exposcat. 11. Ut parochialium et aliarum ecclesiarum, capellarum, altarium, etc., reparationes, adhibito si opus fuerit locali interdicto, aliave censurâ, urgeat. 12. Ut oratoria domestica de novo erecta visitet. 13. Ut seminaria erigat, eisque vel per se, vel per superiores quos nominaverit, praesit. 14. Ut non solum ordinandos clericos examinet, sed sacerdotes quoslibet, ubi agitur de impertienda eisdem ad excipiendas fidelium confessiones jurisdictione, atque etiam postea quoties id expedire ipsi visum fuerit. 15. Ut quae festorum dierum sanctificationem externumque Dei cultum spectant, juxta sacrorum Rituum Romanorum normam moderetur. 16. Ut quadraginta dierum indulgentias et alias spirituales gratias concedat. 17. Ut preces indicet et monitoria intimet. 18. Ut adversantes fidei vel moribus libros damnet, eorumque lectionem prohibeat. 19. Ut manuscripta quae religionem spectant, antequam prelo tradantur, examinet, atque puritati fidei in tota Dioecesi et maxime in scholis opportunis cautelis provideat. 20. Ut clericos beneficium vacans ambientes concursu aut alia ratione dijudicet, idoneis placitum seu licentiam concedat ac ineptis justa de causa deneget, et dein rite nominatos seu legitime praesentatos quamprimum (saltem intra duos menses) instituat. 21. Ut ad mentem Concilii Tridentini [1] in regulares aliàs etiam

[1] Sess. VI, de Reform. cap. III. — Sess. XXIII, de Reform. cap. XV. — Sess. XXV, de Regul. cap. XI et XIV.

exemptos, qui extra claustra cum scandalo deliquerint, nec a praeposito suo fuerint puniti, animadvertat, itemque in eos, qui a se (Episcopo) non approbati saecularium et a fortiori monialium confessiones excipere attentaverint, quique sine sua venia extra ecclesias sui Ordinis praedicaverint, et qui in administratione cujuslibet sacramenti erraverint. — 22. Ut emolumenta et stipendia temporalia competente praxi inducta exigat, qualia sunt taxae pro institutionum canonicarum aliorumve titulorum expeditione, pro dioecesis visitatione, etc.; item cathedraticum, quod est tributum Episcopo in obedientiae argumentum et in honorem episcopalis cathedrae quotannis solvendum, quodque cum tempore synodi paschalis persolvi soleat, *synodatici* nomine compellatur.

Aliis Episcopalis dignitatis juribus persequendis supersedemus, quoniam vel alibi in hisce Constitutionibus elucescunt vel a probatis auctoribus passim exponuntur. Quod autem de episcopali jurisdictione hucusque diximus, ita est intelligendum, ut legitimis, si quae sint, auctoritatis civilis juribus non praejudicetur.

§ 4. *De Clericorum erga Episcopum officiis.*

Haec recensentur praecipua clericorum erga suum Episcopum officia :

1. Superioritatis ejus recognitio : *Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, anathema sit.* (Trid. Sess. XXIII, can. 7.) — *Episcopalis dignitas prae ceteris est sublimior, et aliae nullae comparationem recipiunt ad eamdem.* (Conc. Raven.) — *Perspicuum est, Episcopum velut Dominum ipsum aspicere oportere.* (S. Ignatius ad Ephes. VI.)

2. Amor et fiducia : *Pater est... quis patrem non diligit? Animarum pastor est... si christiani sumus, nobis; si Episcopi, vobis sumus...* Ita Augustinus. Quis ergo in omnibus necessitatibus fidenter non accedat?

S. Ignatius (ad Ephes. IV) singulari laudi vertit Ephesiorum presbyterio, *ipsum ita cum Episcopo uniri atque aptari, ut chordas cum cithara.* — Talis unio nostrâ aetate maxime necessaria est, ne forte clericorum dissensione vituperationi tradatur Christianum nomen, ac Deus et Salvator noster blasphemetur.

3. Honor et observantia. Ad utrumque tenentur laici omnes; quanto magis clerici. *Qui honorat Episcopum, a Deo honoratur.* (S. Ignat. ad Smyrn. VIII et IX.)

4. Obedientia et singulis ejusdem statutis ac legibus submissio, nisi (quod Deus avertat) ab orthodoxae fidei principiis vel a receptis jam dudum universalis disciplinae regulis essent alienae. Ad hoc enim se quisque in sacrorum Ordinum susceptione obstrinxit. *Episcopum omnes sequamini, ut Jesus Christus patrem.* (Idem S. Ignatius loc. cit.)

5. In rebus gravioribus et dubiis fiduciosus ad eum recursus. *Presbyteri et Diaconi sine Episcopi sententia nihil perficiant.* (Can. Apost. XL.)

6. Dignitatis ejusdem, jurisdictionis et decretorum tuitio. Hinc obtrectatoribus debitam ipsi obedientiam ac venerationem significent, et Episcopum, si amica monita non sufficiant, gravisque videatur obtrectatio, edoceri curent.

7. Frequentes ad Deum pro ipso felicique ejus regimine preces : *Obsecro vos, fratres, per Dominum Nostrum Jesum Christum, et per charitatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* (Rom. XV, 30.) — Ubi vero in graviorem morbum inciderit, fidelium precibus commendetur, et post ejus obitum, die a R[ssimo] dioecesis administratore designatâ populoque nunciandâ, in ecclesiis parochialibus, collegiatis, conventualibus, aliisque in quibus divinum diebus festis canitur officium, solemne pro aeterna ejus requie sacrum decantetur, atque ab unoquoque ceterorum dioecesis sacerdotum missae sacrificium in eumdem finem semel offeratur.

8. Legitimorum emolumentorum ad varias expeditiones in secretariatu vel cancellaria faciendas solutio : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* (I Cor. IX, 11.)

§ 5. *De Visitatione episcopali.*

1. Episcopalis visitationis scopus praecipuus est, « sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, « inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere; populum « cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem « innocentiamque accendere; cetera, prout locus, tempus « et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium « fructum constituere [1]. »

Ex his Tridentini verbis patet, a locorum parochis visitationis utilitatem non parum pendere. Quare, acceptum nostrum de ineunda visitatione mandatum illico populo significabunt, illumque, ut optatum exinde fructum percipiat, congruis adhortationibus commonefacient.

2. Cum angustius saepe sit visitationis tempus, ut singula ejus objecta examinari queant, suarum parochiarum statum praevie Nobis scriptotenus transmittent parochi, in quo sequentia singillatim indicabunt :

a) Quis sit ecclesiae, capellarum, altarium, vasorum sacrorum, paramentorum, linteaminum ac coemeterii status;

b) Qui sint ecclesiae, capellarum et confraternitatum reditus; an rationes coram parocho reddantur, earumque libri vel duplicatum praesto sint, in ipsâ visitatione exhibenda;

c) Quis sit beneficii status, qui ejus reditus, quae onera, quae fundationes, quot missae fundatae, sitne aliquid deperditum, reductionem exposcens, dubium, etc.;

d) Num sint in parochia ludimagistri fide ac moribus

[1] Conc. Trident. Sess. XXIV, de Reform. cap. III.

probati ac officio suo sedulo et competenter fungentes, num etiam pueri diligenter ad catechesim et scholam mittantur;

e) An obstetrices probe instructae sint de modo baptizandi;

f) Quis communicantium numerus; qui parochianorum mores; quomodo se gerant circa festivorum dierum sanctificationem, nocturnarum vigiliarum et cauponarum frequentationem; num sint in parochia abusus corrigendi aut scandala quaepiam amovenda. Circa haec tamen, si quid occurrat designandum quod vel ad parochiae speciale dedecus vel ad personarum infamiam vergit, sat erit res hujusmodi soli episcopo et verbotenus committere;

g) Fuerintne postremae visitationis recessus executioni mandati?

h) Denique si quid aliud speciali mentione dignum ipsis visum fuerit, id exponent;

i) Anniversariarum missarum catalogum ac registrales baptizatorum, confirmatorum, conjugatorum et mortuorum libros examinandos parabunt.

j) Parochiae praepositos seu deputatos monebunt, ut in aedibus parochialibus compareant, episcopo interroganti responsuri, cum illo et parocho de corrigendis abusibus acturi, ac querelas, si quae sint, in lucem prolaturi.

3. Quod spectat ad ordinem ritumque servandum in ipsa visitatione episcopali, omnia peragantur ad normam Pontificalis Romani et *Manualis Rituum* [1].

4. Ceterum parochi curabunt Episcopum modo et honore competenti excipere: attamen in memoriam revocare volumus Decretum Tridentini [2] praecipientis, ut visitanti Praelato suisque illum comitantibus frugaliter et moderate victualia ministrentur.

[1] *Manuale Rituum* a R. D. Piller, p. 497 edit. secunda.
[2] Sess. XXIV, de Reform. cap. III.

§ 6. *De Vicario generali.*

1. Vicarius generalis ille est minister episcopi, cui competit, ex hodierna Ecclesiae disciplina; exercitium universalis jurisdictionis ordinariae vice et nomine Episcopi administrandae, exceptis tamen iis causis, quae vel a jure vel ab ipso Episcopo soli personae episcopi reservantur.

Hinc fit ut unum idemque sit Episcopi et Vicarii generalis forum, nec legitima sit appellatio a Vicario ad Episcopum.

2. Regulariter unus est Vicarius generalis in unaquaque dioecesi, cum eidem universalis jurisdictio commissa sit, adeoque, de jure, minime dividuntur variae partes jurisdictionis in plures Vicarios, nec pro varietate causarum, nec, multo minus, pro varietate ditionum unius dioecesis. Attamen, ubi sunt duae dioeceses principaliter unitae, ut apud nos, unaquaeque sub proprio Vicario generali constitui potest et convenit.

3. Cum ad universam ordinariam jurisdictionem pertineat contentiosa jurisdictio sicut voluntaria, constat Vicarium generalem esse etiam judicem ecclesiasticum illum qui hodierna Ecclesiae praxi *Officialis* vocatur. Attamen ipso jure restringitur usus illius potestatis, ut non possit exerceri nisi de speciali mandato Episcopi.

Tribunal ecclesiasticum praeter *Officialem* alios ad arbitrium Episcopi judices, aut ministros annumerare potest.

In nostra dioecesi constituitur hoc tribunal ad normam Litterarum quas dedimus die 28 Februarii 1885 [1].

[1] ORDONNANCE ÉPISCOPALE

ARTICLE PREMIER. — Notre sollicitude pastorale nous détermine, dans l'intérêt de la Religion et pour mieux assurer le maintien de la discipline ecclésiastique, à séparer, suivant

4. Siquidem Vicarii generalis auctoritas a personali ipsius Episcopi commissione oritur ab eaque tota dependet, necesse est ut cesset sive renuntiatione ipsius Vicarii, sive revocatione aut remotione quae ab Episcopo fiat, sive ipsius episcopi jurisdictione quomodolibet exspirante. Igitur, cum dioecesis Episcopus e vivis excedit, aut renuntiatione jurisdictionem amittit, aut ad aliam dioecesim transfertur, statim exspirat Vicarii potestas; adeoque constituitur, deficiente in nostra Dioecesi capitulo cathedrali atque vicario capitulari, administrator Dioecesis Sede vacante speciali delegatione sanctae Sedis.

l'exemple de saints Evêques, l'exercice de notre juridiction contentieuse de celui de notre juridiction volontaire.

Art. 2. — Nous déléguons, en conséquence, notre juridiction contentieuse à un official, pour qu'il l'exerce en notre nom et sous notre surveillance, avec les prêtres de notre choix que nous lui aurons adjoints, conformément au droit ecclésiastique.

Art. 3. — L'official et les prêtres qui lui sont adjoints pour l'exercice de notre juridiction contentieuse constituent notre officialité diocésaine.

Art. 4. — L'officialité est compétente pour toutes les causes contentieuses spirituelles, c'est-à-dire qui intéressent la foi, les mœurs, la discipline ecclésiastique.

Art. 5. — Soit comme conseil de discipline, soit comme tribunal, notre officialité ne peut prononcer que des peines disciplinaires et canoniques.

Art. 6. — Notre officialité se compose :

1° D'un président, qui a seul le titre d'official, et qui en exerce toutes les fonctions ;

2° De deux juges assesseurs.

Nous pourrons nommer, s'il en est besoin, des suppléants-assesseurs.

Art. 7. — Il sera établi, près de notre officialité, un promoteur.

Art. 8. — Un secrétaire et un avocat d'office seront, en outre, attachés à l'officialité.

§ 7. *De Decanis.*

1. Decani sive Archipresbyteri qui apud nos gerunt quodammodo vices vicariorum foraneorum, sunt ii presbyteri, quibus Episcopus aliquam partem suae sollicitudinis in determinatam dioecesis regionem seu decanatum committit. Itaque eorum munus, cum pendeat a mandato Episcopi, ad ejus nutum est revocabile, et limitatur ad certos actus certumque locum.

2. Officium principale decanorum est, ut moribus parochorum aliorumque clericorum sui decanatus invigilent. Igitur errores damnabiles, et quaevis scandala, maxime cum agitur de vitio intemperantiae aut de turpi vel suspecta relatione, item graves detractiones, convicia, contumelias, dissensiones, primo quidem, si fieri potest, charitate fraterna praevenire ac secreta monitione impe-

Art. 9. — Pour exercer quelque fonction que ce soit dans notre officialité ou près d'elle, il faudra être prêtre et avoir été nommé et institué par nous, au moyen de provisions écrites.

Art. 10. — Le serment est prêté et la profession de foi est faite par les membres de l'officialité, conformément au Concile de Trente, entre les mains de l'Evêque même ou de son délégué spécial.

Art. 11. — Il y a incompatibilité des fonctions de l'officialité :

1° Avec la qualité de propre curé des parties ;

2° Avec la qualité de confesseur de ces mêmes parties ;

3° Avec la qualité de parent des parties jusqu'au degré d'oncle ou de neveu inclusivement.

Art. 12. — Les parents jusqu'au même degré d'oncle ou de neveu inclusivement ne peuvent siéger simultanément dans notre officialité.

Art. 13. — La ville de Fribourg est le siège de l'officialité et notre maison épiscopale le lieu où elle s'assemble.

dire ac corrigere curabunt. Quod si cautiones illae, quod avertat Deus, inutiles evasissent, aut instet periculum publici cujusvis et gravis scandali, ad Nos quamprimum negotium referant, qua in re gravis obligationis pondere onerari eorum conscientiam omnes sciant.

3. Ad eosdem RR. DD. Decanos spectat, abusus graves, si qui forte in populo fideli exoriantur, et quidquid in detrimentum Religionis aut cultus divini dedecus vergit, ea qua par est prudentia, gravitate et charitate removere; quaecumque sunt notatu, mutatione et emendatione digna, praecipue quoad functiones sacras, praedicationem verbi divini et catecheses, ecclesiarum statum, paramentorum et rerum sacrarum decentiam et nitorem, habitudines inter parochos ac magistratus, praefectos municipii ac ludimagistros, sedulo sed magna charitate investigare, ut Nobis exactam de his omnibus relationem *in scriptis* exhibendam, tempore synodi decanalis quotannis celebrandae, exhibere valeant.

4. Ut vero istiusmodi relationes una forma et optimo fructu fieri possint, scriptae a Nobis quaestiones ad singulos decanos mittentur, quibus sincere coram Deo ac sine ullo humano respectu respondebunt postquam unusquisque proprii decanatus parochias singulas visitaverit. Volumus enim, cum totius dioecesis visitatio episcopalis singulis annis aut bienniis fieri non possit, et ne longiori temporis tractu quae sapienter statuta sunt paulatim labantur, quotannis fieri hujusmodi visitationem per decanos quos ad hoc munus delegamus, exceptis annis quibus ipse Episcopus per semetipsum visitationem instituerit, quo tamen casu opportunum est ut ipse Decanus visitationi parochiarum sui decanatus adsistat.

5. Decani praesunt conferentiis seu collationibus ecclesiasticis, et invigilant ut quae de iis in tertia parte horum statutorum sancita sunt ad amussim observentur. In aliis quibuslibet functionibus praecedentiam habent prae aliis parochis ac debito honore prosequendi sunt.

6. Beneficiatos sui decanatus installant, seu in possessionem suorum beneficiorum immittunt, nisi Episcopus ipse aut ejus Vicarius id muneris peragere velint.

7. Clericos aegrotantes in suo districtu visitent, sacramenta illis administrent aut administrari curent, eos spiritualibus solatiis recreent et ad pie testandum inducant.

8. Defunctorum mortem illico Nobis nuntient, et confratres sui decanatus ad defuncti sepulturam convocent, ipsique sepulturae praesint, nisi adsit superioris dignitatis vir, aut specialis ratio sive e testamento defuncti, sive ex amicitiae aut familiaritatis convenientia obsistere videatur.

9. Omnem adhibeant sollicitudinem ut documenta, acta, libri, ornamenta, aliaque omnia, quae in aedibus parochialibus habentur ad beneficium et viduam ecclesiam spectantia, serventur illaesa, et sub clavi, quam secum deferant, reclusa, donec de successore sit provisum, quocum etiam inventarium beneficii conferet ad normam praescriptam parte III horum Statutorum, cap. II, § 4, p. 29.

10. Quamprimum ab Ordinario nominati fuerint Pl. RR. DD. Decani, emittent inter manus ejusdem Ordinarii juramentum fidelitatis cujus formulam videre est in *Appendice* harum Constitutionum N° III, pag. 14.

11. Numerus et ordo decanatuum dioecesis Lausannensis est sequens :

1.	Decanatus	Friburgensis	complectens	parochiam	1
			et	rectoratus	2
2.	Decanatus	Staviacensis	complectens	parochias	8
3.	»	Grueriae	»	»	8
4.	»	Rotundimontanus	»	»	12
5.	»	In parte Dei	»	»	11
6.	»	Germanus	complectens	parochias	11
			et	rectoratus	3
7.	Decanatus	Aventicensis	»	parochias	9
8.	»	S. Crucis	»	»	10
9.	»	S. Henrici	»	»	10
10.	»	S. Marii	»	»	7

11.	Decanatus	S. Protasii	complectens	parochias	9
12.	»	Vallis Sanctae	»	»	9
13.	»	S. Odilonis	»	»	8
14.	»	S. Udalrici	»	»	9
15.	»	S. Amedei (Valdensis)	»	»	13
16.	»	S. Bonifacii (Novicastri).	»	»	9

§ 8. *De Parochis.*

1. Munus parochi institutionis est mere ecclesiasticae per plura saecula primi aevi christiani prorsus incognitum, adeoque non alia ei jura vel munia abscribenda sunt nisi ea quae ab Ecclesia lapsu temporis sancita sunt, quaeque ab Ecclesia pari modo revocari possent.

2. Parochi autem munus est cura spiritualis animarum exercenda ex obligatione officii et proprio nomine in determinatum populum et certam fixamque partem alicujus dioecesis quae parochiae nomine nuncupatur.

Cum autem cura spiritualis animarum, id est, jus et obligatio praedicandi verbum Dei et sacramenta administrandi, nullam de se importet jurisdictionis in foro externo delegationem, hinc est ut parochi non possint vocari sensu stricto *pastores,* nec, multo minus, aliquem gradum ecclesiasticae hierarchiae constituant, aut inter Ecclesiae praelatos sint adnumerandi. Attamen sunt juxta hodiernam disciplinam cooperatores episcoporum in propriis parochiis, adeoque ab eorum recta institutione maxima ex parte dependet spirituale bonum et aeterna salus animarum ; quare plurimum sane interest ut parochi sua missione digni ac episcoporum providi ac strenui existant adjutores.

3. Parochorum obligationes praecipuae quae ad onus residentiae, ad administrationem sacramentorum, ad verbi Dei praedicationem, ad applicationem S. Sacrificii pro populo, ad Ecclesiarum nitorem, ad rerum sacrarum

custodiam, ad exequias, ad curam ac visitationem aegrotorum, ad puerorum christianam educationem, ad rei beneficiariae tractationem spectant, aliis in locis harum constitutionum declaratae sunt.

Paucissima igitur heic observanda relinquuntur quoad externam parochiarum administrationem.

a) Imprimis curabunt parochi ut libri parochiales baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum et defunctorum accurate describantur et custodiantur ad normam Ritualis Romani et secundum formam in nostra Diœcesi sancitam.

Non eos praetereat librum *status animarum* pari modo praescribi, ac ejusdem formam accurate tradi in eodem Rituali et in appendice harum Constitutionum pag. 40.

b) Ut vero libri status animarum utilitas sane maxima ad bonum regimen parochiae integra percipiatur, curabit parochus eumdem librum identidem revisere, emendare, atque addenda mutandaque adnotare novasque in dies orientes familias suo proprio loco adscribere : curabit pariter ut inter singulas familias relinquatur spatium sufficiens faciendis praedictis mutationibus aut additamentis.

c) Id vero vix obtineri poterit, nisi parochus congruis temporibus visitet omnes et singulas suae parochiae familias. Quae visitatio cum ad alios etiam fines utilissima sit, volumus ut singulis annis fiat, exceptis duntaxat parochiis majoribus, id est ultra bis mille animas computantibus, in quibus eadem visitatio quovis biennio absolvetur, nulla exceptione admissa nisi ex nostra speciali concessione ob graves omnino rationes.

d) In visitatione parochiae omnem diligentiam adhibebit parochus, non solum ut ipse cognoscat quidquid necessarium videbitur ad puerorum institutionem, catechismi et scholae frequentationem, matrimoniorum validitatem, sacramentorum susceptionem aliaque hujusmodi plura; sed etiam ut in sua parochiâ mala, abusus, scandala, quantum id per prudentiam licuerit, aut removeat aut

praeveniat, fidem promoveat, ejus pericula avertat, dissensiones componat, pacem pro posse procuret, bonos mores custodiat, consuetudines vitiosas eradicet, ac plebem sibi commissam opportunis monitis ad vitam christianam informet.

e) Curam pauperum specialiter sibi commissam esse sentiat ac maxime eorum qui prae verecundia inopiam suam dissimulant et obtegunt, aut quos commendant honesta vita, sobrietas, diligentia.

Non satis enim est miseriae corporali subvenire, nisi simul praecaveantur vitia, e quibus saepe oritur pauperies et ad quae ipsa pauperies non raro inducit. Non minus ergo studeat scire quibus et quomodo succurrendum sit, quam ut promptum se exhibeat ad succurrendum. Cumque vires solius parochi ad tantum onus impares sint, sodalitia pia ac instituta ad varias miserias proximi sublevandas impense promoveat ac eorum opera naviter utatur. « Beatus enim, qui intelligit super egenum et « pauperem; in die mala liberabit eum Dominus [1]. »

f) Si, teste Apostolo [2], singuli fidelium tenentur pacem et concordiam cum omnibus habere, quanto magis id decet presbyteros ac parochos, tum erga fideles sibi commissos, quos paterno affectu fovere ac veluti parvulos in fide nutrire ac sufferre patienter debent; tum erga alios presbyteros aut clericos, quos *fraternitatis charitate* prae aliis diligere tenentur. Studeant igitur parochi mansueti esse ad omnes, ingratos, detractores, adversarios exemplo Christi patienter tolerare, ac pro iis orare, nunquam malum pro malo reddere, sed vincere in bono malum.

Studeant maxime inter se charitatem sinceram et verbis et factis et domi et foris exhibere.

g) Parochi vicarios exemplis, consiliis et monitis quatenus opus est dirigant, adjuvent, instruant. Si deliquerint,

[1] Psalm. XL, 2.
[2] Rom. XII, 18.

corrigant debita prudentia et charitate, nec unquam hujusmodi defectus ad aliorum aures effundant, sed, si necessitas cogat, ad Nos vel ad Nostrum Vicarium generalem referant. Si recte ac cum profectu laborent, sincere gaudeant in Domino, cooperatores suos magis diligant et nunquam se sinant invidiae tentatione turpiter superari.

Vicarius ex sua parte docilem, ad laborem promptum et alacrem se exhibeat; omnia ex parochi voluntate faciat quoad ordinem et modum publici ministerii; ab omni dicterio, susurramine, partium studio summopere abhorreat, nec cursitet per domos comessationis aut ludi gratia, aut ex parochia discedat, vel munia alibi acceptet sine licentia parochi. Non cito ad querelas moveatur, sed si res tanti esset, eam ad Nos ea quà par est modestia et discretione referat.

h) Nullus sacerdos alienae dioecesis invitetur aut eligatur ad munus quodlibet *permanens* exercendum in Nostra Dioecesi, ut ad conciones habendas tempore Adventus et Quadragesimae, ad missiones ad populum habendas, nisi de Ordinarii concessu. Nolumus tamen hac regula prohibere parochos qui ad limites Dioecesis constituti sunt, ne utantur benevolo adjutorio sacerdotum vicinorum alienae dioecesis, dummodo suo proprio Ordinario probati vitaeque ac doctrinae integritate noti sint; et Nos sacerdotibus, qui in parochiis vicinae dioecesis Nostram dioecesim attingentibus constituti qua parochi, vicarii aut alias confessarii approbati sacrum ministerium exercent, jam impertimur jurisdictionem ut in parochiis Nostrae dioecesis sacramentum poenitentiae administrare valeant; reliqui vero hanc jurisdictionem a Nobis speciatim petent.

i) Capellani et alii sacerdotes in parochia degentes solliciti sint, erga parochum servare reverentiam debitam et unitatem spiritus in vinculo pacis.

k) Seminarii alumnos, si qui sint in sua parochia, paro-

chus benigne suscipiat, juvet, eorum moribus paterne invigilet, dum feriarum tempus agunt, ac eorum vivendi rationem Superioribus testatam sincere faciat.

CAPUT III

DE EXPOSITIONE FIDEI, SEU DE DOCTRINA CHRISTIANA

Inter praecipua pastoris animarum officia procul dubio recensendum est onus praedicandi verbum Dei atque populum fidelem edocendi. Quod enim Apostolis dictum est : *Euntes docete omnes gentes*, eorum successores Episcopi non tantum per seipsos sed praesertim operâ parochorum praestare consueverunt. Si sanctus Paulus seipsum ad praedicandum excitabat his verbis : *Vae mihi, si non evangelizavero* [1], eodem profecto fervore ad hoc opus ardere debent parochi de æterna sorte animarum rationem quondam reddituri. Quare breviter ea enumerâmus, quae tum in instruendis adultis, tum in catechizandis pueris observanda volumus.

§ 1. *De Concione.*

1. Praecipit sacrosancta Tridentina Synodus [2], ut *quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas, pro suâ*

[1] I Cor., IX, 16.
[2] Sess. V de Reform. cap. II.

et earum capacitate, pascant salutaribus verbis, docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant, quod decretum ab omnibus ad quos spectat, de verbo ad verbum servari praecipimus. Tamen excipimus Dominicam Palmarum et solemnitatem Corporis Christi, quibus Concio alias praescripta praetermitti potest.

2. Ne autem hoc mandatum a quibusdam flocci pendatur, declaramus, parochum qui unius mensis spatio de rebus sacris per se vel per alium verba ad populum non faceret, suspensione ipso facto seu ipsa instructionis omissione innodatum esse.

3. Optandum omnino foret, ut in ecclesiis, in quibus plures celebrantur missae, non in missa principali tantum, verum etiam in missa matutinâ sermo brevis (5–10 minutes) haberetur.

4. Hortamur omnes qui ex officio doctrinam christianam tradere debent, ut in suis concionibus eum sequantur ordinem, qui in Catechismo Concilii Tridentini vel Dioecesano servatur, ita ut symbolum Apostolorum, Sacramenta, Dei et Ecclesiae praecepta, Oratio Dominica et Angelica salutatio, necnon Liturgia sacra, saltem intra cujusque quinquennii spatium fidelibus explanentur. Quotannis vero tempore Quadragesimae ea quae ad salutarem sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae receptionem necessaria sunt, fidelibus in memoriam sedulo revocent.

5. Volumus, ut saltem una vice in anno distinctâ et altâ voce legatur formula Credendorum (Prône), quae in Manuali precum habetur.

6. Caveant sedulo omnes verbi divini praecones, ne in concionibus permisceant quaestiones ministerio evangelico extraneas, praesertim quod ad privatas personas

vel ad difficultates atque dissidia cum parochianis attineat; item summe caveant, ne quemquam directe et nominatim carpant aut etiam oblique insectentur : hoc enim nonnisi cum magno animarum detrimento fieri compertum est.

7. Ne miracula nova vel indulgentias novas sine praeviâ Ordinarii approbatione promulgent.

8. Curent pariter omnes, praesertim juniores, ut ea quae publice populo tradenda sunt, seria meditatione praediscant et apto ordine disponant. Huc enim quoque spectant verba Christi : *Non tentabis Dominum Deum tuum* [1].

9. Denique Christum imitari studeant verbi Dei praecones ; sint sancti, mundo crucifixi, fide pleni et charitate incensi, ut divini Praeceptoris more *faciant et doceant* [2].

10. Valde optamus, ut in singulis parochiis quandoque, occasione Jubilaei vel alicujus festivitatis, advocatis strenuis Verbi Dei operariis, vulgo dictae **Missiones** instituantur.

11. Parochi nullum clericum non presbyterum, nullum sacerdotem extraneum et ignotum, nullum ad praedicandum non approbatum in ecclesiis suis sine nostrâ licentiâ concionari permittant.

Sacerdoti tamen alterius dioeceseos bene noto aut commendatitiis litteris munito et ad praedicandum approbato, ut semel aut iterum concionem faciat, sine praevio ad Nos recursu, concedere poterunt.

§ 2. *De Catechismo.*

Sancta Synodus Tridentina Sess. XXIV de Reform., Cap. 4, haec statuit : *Itidem* (Episcopi) *etiam saltem Dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis*

[1] Matth., IV, 7.
[2] Act., I, 1.

parochiis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, et si opus sit etiam per censuras ecclesiasticas compellent, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus.

Reapse neminem latet, ex pia puerorum institutione totum profectum in vitâ christianâ, atque familiarum et populi fidelis prosperitatem maxime pendere. Absit ergo, ut in aliquâ Nostrae diœcesis ecclesia illud lugendum veniat quod lugebat propheta : *Parvuli petierunt panem. et non erat qui frangeret eis* [1]. Quocirca :

1. Omnibus parochis, eorum vicariis et aliis quibuscumque clericis, quorum est christianam juventutem rudimenta fidei docere, districte praecipimus, ut lectionem catecheticam — nisi gravi detineantur impedimento. — saltem singulis Dominicis habeant ; iis tamen exceptis solemnioribus diebus quorum mentio fit in Parte II, de Cultu, pag. 19.

2. Hanc catecheticam instructionem adultis maxime proficuam sub finem vesperarum fieri volumus, vel aliquoties (v. gr. semel in mense), loco concionis, infra missam parochialem.

3. Praeterea declaramus, parochum aliumve presbyterum ad quem hujusmodi officium spectat, qui lectionem catecheticam per se vel per alium sacerdotem habere integri mensis spatio omiserit, suspensione ipso facto innodatum esse.

4. Praecipimus etiam ut quavis hebdomade habeatur distincta lectio catechetica pro vario captu puerorum et aetate.

5. Teneant parochi accuratum puerorum qui catechesi interesse debent catalogum, ut negligentes rite monere et ad officium revocare valeant.

6. Maximam autem a parochis in instruendis ac

[1] Thren., IV, 4.

disponendis ad primam communionem pueris operam requirimus, ac proinde ut bis terve in hebdomade, saltem per sex menses, pueros ad catechesim convocent. Conferantur et rite serventur ea quae circa hanc rem in Parte II, de Cultu, pag. 41, traduntur.

7. Pueri quantum fieri potest, usque ad annum decimum sextum in frequentanda catechesi retineantur; imo ne hac quidem aetate dimittantur, si nondum rite edocti fuerint.

8. Ut in tam gravi negotio Nobis constet, neminem officio deficere, curabimus ut etiam extra tempus visitationis episcopalis, a Nostris Delegatis invisantur parochiae, et pueri circa doctrinam christianam examinentur.

9. In ecclesiis et sacellis Clericus tradens doctrinam christianam seu catechesim semper veste talari et superpelliceo indutus sit.

10. Studeant parochi catecheses, quantum fieri potest, acceptas et dilectas reddere sive per amoenas narrationes ex historia sacra et ecclesiastica vel e vita sanctorum, sive per cantus populares.

11. Tandem uniformitatis servandae gratia, prohibemus ne catechistae diverso a dioecesano utantur catechismo, nec pueros aut ludimagistros alio quocumque uti patiantur.

§ 3. *De scholis popularibus.*

1. « In hisce potissimum scholis (scholis popularibus) omnes cujusque e populo classis pueri vel a teneris annis sanctissimae nostrae religionis mysteriis ac praeceptionibus sedulo sunt erudiendi, et ad pietatem morumque honestatem, et ad religionem civilemque vivendi rationem accurate formandi. **Atque in eisdem scholis religiosa praesertim doctrina ita primarium in institutione et educatione locum habere ac dominari debet, ut alia-**

rum rerum cognitiones, quibus juventus ibi imbuitur, veluti adventitiae appareant. Quapropter juventus maximis exponitur periculis, nisi ejus in memoratis scholis institutio arctissimo cum religiosa doctrina vinculo consocietur. **Cum igitur populares scholae ad populum religiose formandum, ejusque pietatem et christianam morum disciplinam fovendam sint praesertim statutae,** idcirco omnem Ecclesiae curam, sollicitudinem et vigilantiam prae ceteris educationis institutis sibi merito atque optimo jure semper vindicarunt. » Pius IX. Epist. *Quum non sine maxima,* ad Archiep. Friburg. in Brisg. 14 jul. 1864.

« Ecclesia vero, integritatis fidei custos et vindex, quae, delata sibi a Deo conditore suo auctoritate, debet ad sapientiam christianam universas vocare gentes, itemque sedulo videre quibus excolatur praeceptis institutisque juventus, quae in ipsius potestate sit, **semper scholas quas appellant mixtas vel neutras,** aperte damnavit, monitis etiam atque etiam patribusfamilias, ut in re tanti momenti animum attenderent ad cavendum. » Leo XIII. *Nobilissima Gallorum gens.* 8 feb. 1884.

2. Cum igitur instruendae juventuti parochus non sufficiat, hinc sapientissime ab utraque potestate provisum fuit, ut in singulis parochiis constituantur ludimagistri instruendae juventuti apti, a Nobis quoad fidem et mores, catechismum atque historiam sacram examinandi et approbandi.

3. Eorum est inter alia, providere ut pueri catechismum memoriter addiscant necnon historiam sacram sedulo legant, atque utriusque textum intelligant: in hunc finem non alios nisi a Nobis vel a parochis approbatos libros adhibebunt.

4. Ad mores ludimagistrorum, ad eorum doctrinam, docendi diligentiam caute attendant parochi, et improbos, ineptos aut negligentes post repetitas monitiones superioribus deferant.

5. Magistris et paedagogis identidem in memoriam revocetur eos peccare: 1. Si discipulorum moribus non invigilent. 2. Si peccata eorum dissimulent, et non corrigant quando possunt. 3. Si eos non doceant bonos mores. 4. Si consulto eos doceant falsa, vel superstitiosa et saluti noxia. 5. Si profectum eorum in litteris non sedulo promoveant. 6. Si non studeant ipsi, ut officio satisfaciant. 7. Si discipulis malo sint exemplo. 8. Si malis moribus imbutos, et qui aliis perniciosi sunt, ad scholas admittant, vel ex illis non dimittant. Cf. S. Ligor. Lib. III, 362.

6. Parochi singulis ad minimum mensibus scholas suae parochiae visitent, et defectus, quatenus par est, corrigant.

7. Ceterum cum ludimagistri non parum afferant adjumenti pro juventute religiose instituenda atque Dei cultu promovendo, illos benevolentia et caritate prosequantur parochi necesse est.



PARS SECUNDA

DE CULTU

CAPUT I

DE ECCLESIIS ET MATERIALIBUS EARUM OBJECTIS

Ad Cultum divinum imprimis spectant Aedes sacrae, ecclesiae, sacella, oratoria privata, necnon materialia earum objecta. Quid porro circa haec Nobis, quid vobis incumbat, operae pretium est designare.

1. Ecclesiarum erectionem, imo sacellorum et altarium constructionem, earumque conservationem Nostrae auctoritati et facultati reservari, apud omnes constat. Hinc ecclesias, sacella et altaria erigi, dirui aut notabiliter immutari absque praevia Nostra facultate prohibemus. Ideo, quoties de notabili constructione vel reparatione aedificii sacri vel altaris vel etiam Sacristiae, etc. agitur, Nos prius consuli, et formam seu descriptionem (*plan*) novae aedificationis vel majoris reparationis, necnon praevisam impensarum summam (*devis*) Nobis exhiberi volumus. Praecipimus insuper, ut ante constructionem aedium sacrarum earum conservatio et decens manutentio vel per assignationem sufficientis dotis, vel per sponsionem parochiae (aut si agitur de sacello gentilicio, per

sponsionem patroni), necnon earum destinatio ad cultum Romano-Catholicum per media opportuna in tuto collocentur. Absque tali cautione nullum sacrum aedificium erigi et multo minus benedici vel consecrari permittemus. Quoad oratoria **privata**, consulatur jus canonicum et usus. Hac occasione parochis et ecclesiarum rectoribus omnino prohibemus, ne res antiquitate vel artificio pretiosas ad ecclesiam pertinentes, ut libros manuscriptos, imagines, ornamenta, texta denticulata (*garnitures*) vel serica, vitra picta (*vitraux*), armaria, calices, etc. vendere aut alienare praesumant absque Nostra speciali licentia.

2. Cuilibet ecclesiae (et convenienter etiam sacello publico) constituatur **Titulus**: Angelus, vel Sanctus aut Sancta (rite canonizatus, non vero solum beatificatus), vel etiam Persona divina aut Mysterium, sub cujus invocatione ecclesia erigitur et a quo denominatur. Ille Titulus eligitur in benedictione primarii lapidis pro ecclesia aedificanda, et quidem etiam privato fundatorum vel aliorum ad quos spectat, beneplacito : pro ecclesia parochiali plerumque eligitur Patronus parochiae ; posset tamen eligi alius Titulus diversus a Patrono. Titulus legitime constitutus nequit immutari sine Indulto Apostolico, nisi ecclesia destruatur aut in perpetuum profanetur. (Man. Rit., pag. 27-29.)

3. Ecclesia neoconstructa a Nobis juxta Pontificale consecrari, aut saltem a Nobis vel etiam a sacerdote a Nobis ad hoc delegato juxta Ritum **Ritualis Romani** benedici debet, ut in eà missa celebrari possit, nisi ob rationes particulares specialis a Nobis facultas obtenta fuerit. Similiter etiam sacella nova non quidem consecrari, sed a Nobis vel a Sacerdote delegato juxta Rituale benedici debent, antequam in illis celebretur.

Per consecrationem vel benedictionem ecclesia neoconstructa, sive sacellum, fit locus sacer, Deo dicatus, a profano dominio eximitur, et jurisdictioni ac potestati Episcopi traditur, seu fit proprietas Ecclesiae catholicae.

4. Mandamus autem singulis ecclesiarum rectoribus, ut curent ecclesias sibi commissas in debito statu manuteneri, ornamentis sufficientibus debitâque supellectili sacrâ provideri, scopis semel saltem per hebdomadam mundari, altaria eorumque tobaleas et reliqua paramenta, ministrorum vestes, linteamina praecipue et vasa sacra munda et nitida conservari, serio perpendentes, munditiae defectum graviter peccaminosum esse posse. (Man. Rit., pag. 90, 105.)

Volumus etiam, ut ecclesiae Rector accuratum Inventarium omnium paramentorum et supellectilium ad ecclesiam pertinentium conficiat, indicando, num ex sumptibus parochiae vel ecclesiae, num ex gratuita liberalitate alicujus donatoris comparata fuerint.

5. Redituum et expensarum rationem singulis annis parocho loci ab ecclesiarum et sacellorum administratoribus scriptotenus reddi [1], ejusque duplicatum ab illo et duobus loci praepositis subscriptum in aedium parochialium archivio praecipimus deponi, Nobis in actu Visitationis aut etiam aliàs si petierimus, exhibendum. Quod intelligi volumus de reditibus ecclesiasticis, de bonis seu fundationibus ad ecclesias et sacella pertinentibus, non vero de expensis ex liberalitate parochiae aut privatorum sponte factis.

6. Profanis rebus, ut judiciis forensibus, negotiationibus, conventibus et actibus mere civilibus templa non inserviant, nec in iisdem nisi quae ad cultum divinum bonosque mores spectant, publicentur.

7. Laicis scamna in choro particularia non concedantur, imo nec in navi ecclesiae nisi locorum praefectis insignioribusque ecclesiae benefactoribus, fiatque concessio haec mutuo parochi et parochianorum consensu. Caveat tamen parochus jus jam acquisitum temere infringere.

[1] Trid. Sess. XXII, de Reform. cap. IX.

8. Nihil venale ad fores ecclesiae exponatur, nisi quod cultui divino inservire valeat.

9. In qualibet ecclesia altare majus sit **fixum**; minora seu lateralia **portatilia** esse possunt. Utraque rite constructa et omnibus ad celebrandum requisitis instructa esse debent, ut in Man. Rit., pag. 81–88.

10. In ecclesiis, in quibus asservatur Ss. Eucharistia, sit tabernaculum, regulariter in altari majore tanquam digniore situm, rite constructum, conopeo decenter opertum, et extra tempus quo sacra Communio distribuitur, continue clavi in loco tuto custodiendâ obseratum. Cum tabernacula ut rota circa axem versatilia, minus decentia et multis incommodis obnoxia sint, volumus ut in posterum, quoties tabernaculum novum construitur aut notabiliter immutatur, sepositâ illâ rota, ut capsula seu arca immobilis suo ostiolo bene clausa fabricetur. Tabernaculum nihil contineat praeter vasa sacram Eucharistiam actu continentia aut nondum purificata. Ante illius ostiolum poni non potest nec Reliquiarium nec vas florum vel quid simile. Juxta tabernaculum adsit decens vasculum cum aquâ nitidâ identidem mutandâ et cum purificatorio mundo, abluendis post Eucharistiae distributionem digitis inserviens. Coram tabernaculo diù noctuque perpetuo collucere debet lampas, et quidem sub gravi. (Man. Rit., pag. 294–297.)

11. Confessionalia in choro non collocentur si alibi locus aptus suppetat, neque in sacristiâ, nisi pœnitens vel ipse confessarius tali surditate laboret ut confessio in ecclesia excipi non posset; sed in ecclesia in patenti, conspicuo et apto loco, quantum fieri poterit. (Man. Rit., pag. 363.)

12. Cathedra apta decenterque ornata stet, quantum fieri poterit, ex parte Evangelii: non sit nimis alta (in ecclesiis ordinariis sufficit ut ejus fundus duobus metris supra pavimentum navis elevatus sit).

13. In ecclesiis parochialibus Baptisterium seu fons baptismalis collocetur in ecclesiae ingressu ex parte

Evangelii, si per spatium licet, mundusque ac rite clausus servetur. (Man. Rit., pag. 352.)

14. Quaelibet ecclesia habeat suam **piscinam** vel sacrarium, in quam cineres residui ex fer. IV Cinerum vel ex combustione rerum benedictarum, ablutiones linteorum sacrorum (corporalium, pallarum et purificatoriorum), nec non aqua benedicta vel baptismalis residua, etc., projiciuntur. Construitur in apto loco intra ecclesiam sub pavimento, et suo operculo lapideo rite clauditur.

15. De Imaginibus, Statuis et Reliquiis Sanctorum statuit Conc. Trid. Sess. XXV de Invoc., Venerat. et Reliq. Sanctorum, et Sacris Imaginibus: « *Nemini licere ullo* « *in loco vel ecclesia etiam quomodolibet exempta ullam* « *insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi* « *ab episcopo approbata fuerit;.... nec novas reliquias* « *recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante* « *episcopo.* » Hinc nulla imago publicae venerationi exponatur, nisi sit Sancti cujusdam, qui a Romano Pontifice in Sanctorum vel saltem Beatorum numerum fuerit relatus. Ideo praecipimus animarum pastoribus, ut imagines et statuas difformes, laceratas, contrarias dogmatibus fidei vel historiae, a templis removeant et comburant. — Item nullae Reliquiae novae recipi et fidelium venerationi exponi possunt, nisi a Nobis recognitae et approbatae fuerint. Reliquiae recognitae occluduntur in thecâ vel capsâ formae..., crystallo seu vitro ex parte anteriore munitâ, bene clausâ, et funiculo serico coloris... colligatâ ac sigillo Nostro ex cerâ hispanicâ rubrâ (vel alterius coloris) impresso signatâ. Ista reliquiaria seu thecae a nemine (nisi a personâ ad hoc a Nobis delegata) sub poena amissionis authentiae aperiri possunt. Authenticum testimonium seu recognitio et approbatio Nostra ipsis reliquiariis in cistâ externâ jungi vel melius in archivio parochiali asservari debet. Reliquiaria tali authentico testimonio destituta incerta quidem sunt: antiqua tamen quae a longo tempore in honore habentur, licet authen-

ticum eorum non exstet testimonium, habenda sunt in illa veneratione quâ hactenus fuerunt [1].

16. In **Sacristia,** e qua garrulitatem exulare volumus, adsint imprimis imago Crucifixi, urceus aquarius cum mantili mundo, tabula fundationum, nec non tabulae precatoriae ad praeparationem missae et gratiarum actionem, et armaria ad occludenda et in tuto ponenda vasa sacra, linteamina et paramenta numero et colore ecclesiasticis festivitatibus sufficientia, quorum omnium notam et qualitatem in actu visitationis exhiberi Nobis praecipimus. Magni interest, ut Sacristiae sint omnino siccae, ut paramenta, flores, etc., ab humiditate et mucore praeserventur. Propterea non tantum versus meridiem quantum fieri potest construantur, sed frequenter tempore sicco ventilentur. Quid circa **Vasa sacra** eorumque consecrationem vel exsecrationem, item circa **paramenta** ad cultum divinum requisita, eorumque materiam, colorem, benedictionem et munditiem statuant leges Ecclesiae, consulite Man. Rit. pag. 89-90 et pag. 98-105. Sicut calices suam consecrationem, sic ciboria, pyxis et lunula ostensorii suam perdunt benedictionem seu exsecrantur, quando formam suam amittunt et ad usum suum evadunt inepta, item quando in ea parte, quae Ss. Eucharistiam immediate tangit, denuo inaurantur. Calices cum patena a Nobis sacrâ unctione consecrari, ciboria vero et lunula juxta Rituale benedici possunt a sacerdotibus quibus facultatem benedicendi paramenta sacra tribuimus. Quidquid autem benedictum fuerit et altari vel ecclesiae inservierit, id non ad usus profanos adhibendum, sed igni devovendum, cineresque in piscinam projiciendos esse, sacri statuerunt canones.

17. Olea sacra vasis argenteis vel stanneis, aut si ex crystallo valde solidis, sua inscriptione distinctis bene

[1] S. Congr. Conc. — Giraldi Expositio juris Pontificii, Pars I, Sect. DCXXII, cap. 2, Circa III.

obturatis inclusa in speciali capsula post vel prope altare majus (nunquam tamen in tabernaculo Ss. Sacramenti) vel in sacristiâ sub clave et tuta custodia decenter asserventur.

18. De sacellis publicis eadem lex esto ac de ecclesiis pro eorum decore, manutentione et omnibus ad missae sacrificium requisitis. Si quibusdam minus bene prospectum esset, nec profuerint monitiones patronis factae, ad eorum interdictum Nos processuros declaramus. In sacellis (nisi sint verae ecclesiae filiales) diebus Dominicis et de praecepto festivis rem sacram fieri tempore officii parochialis prohibemus.

19. Quoad oratoria privata seu domestica inspiciatur et servetur tenor indulti Apostolici.

20. Campanae, quae ecclesiis et sacris functionibus annunciandis inserviunt, benedici debent, antequam ponantur in campanili. Illa benedictio ad Nos exclusive spectat, seu est propria Episcopis: ideoque ritus ejus non ponitur in Rituali sed in Pontificali tantum. Episcopus tamen Indulto Apostolico augeri potest subdelegandi sacerdotem in aliqua ecclesiastica dignitate constitutum ad benedictionem nolarum: sed tunc subdelegatus omnino et in omnibus servare debet formam in **Pontificali** praescriptam, etiam Unctiones, Ablutiones aquâ a Nobis benedictâ, etc. (Man. Rit., pag. 488.) — Sicut ecclesiae, sic et Campanae per benedictionem fiunt res sacrae, proprietas Ecclesiae, ideoque Campanae benedictae pulsandae sunt tantum ad finem sacrum et religiosum: pulsantur etiam ad repellendas tempestates, sed imminente jam supra campanile nube cessandum ob proximum pro pulsatoribus fulguris periculum: pulsantur quoque in casu summae necessitatis, cui cunctae parent leges, ut incendii, inundationis et similium. Ad usus profanos et a fortiori ad usus religioni adversos campanae benedictae pulsari non possunt: ubi vero talis abusus jam invaluit, magna prudentia opus est et bene cavendum ne per inopportunas

denegationes graves difficultates excitentur. Pro pulsatione campanarum in ecclesiis parochialibus et filialibus instanter commendamus uniformitatem. (*Manuel du Sacristain,* pag. 208-223.)

DE POLLUTIONE, EXSECRATIONE ET RECONCILIATIONE LOCORUM SACRORUM

Quemadmodum consecratione vel benedictione loca sacra cultui divino deputantur, ita pollutione et exsecratione eidem fiunt inepta.

Polluuntur autem ecclesiae: 1. Homicidio voluntario, libere et extra casum justae defensionis patrato. 2. Effusione sanguinis humani violenta, voluntaria, notabili, injuriosa, et graviter peccaminosa. 3. Effusione humani seminis completa et voluntaria, quocumque modo illa fiat. Porro in his tribus casibus actus debet esse publicus et notorius, et quidem in ecclesia perpetratus: si ergo in sacristia, campanili, fornice vel tecto contigerit, non polluitur ecclesia. 4. Sepulturâ infidelis, sive adulti sive infantis non baptizati, et excommunicati denunciati seu vitandi, publicâ et notoriâ. Ecclesiâ pollutâ polluuntur altaria si fixa sint, et coemeteria ecclesiae contigua. In pollutâ ecclesia et coemeterio nec celebrare nec sepelire licet. Si sacerdote celebrante violetur ecclesia, ante canonem, dimittatur missa, si post canonem, non dimittatur: in aliis vero functionibus illico cessandum est. Quamprimum ecclesiae pollutio fuerit notoria et indubia, parochus Ss. Eucharistiae Sacramentum in aliam ecclesiam, vel si alia desit, in sacristiam transferat, altaria denudari, imagines velari, januas claudi curet, ab omni functione sacrâ in ea abstineat, statimque casum ad Nos referat et mandata nostra exspectet. Ecclesia polluta (aut coemeterium violatum) quamprimum a Nobis vel a sacerdote cui facultatem et curam ad hoc commiserimus, recon-

cilianda est: ille sacerdos delegatus, si ecclesia fuit consecrata, eam reconciliat juxta **Pontificale** et aquâ a Nobis benedictâ; si vero fuit tantum benedicta, eam (sicut et coemeterium) reconciliat juxta **Rituale.**

Cum pollutione non debet confundi exsecratio. Ecclesia **exsecratur** quando amittit formam essentialem, seu dum fit inepta ad usum ad quem consecrata erat, ut quando incendio exuritur notabilis ejus pars, vel quando ejus parietes vel ex toto vel ex majori parte simul corruunt, vel dum tota crusta interior vel major ejus pars decidit aut abraditur. Sed non exsecratur nec proprie polluitur ecclesia per cultum acatholicum nec per usum loco sacro indignum, sed tantum profanatur. Exsecratâ ecclesiâ non ideo exsecrantur altaria, si manent integra, nec vicissim. Quandonam altaria sive fixum sive portatile exsecrentur, invenies in Man. Rit. pag. 83. Ecclesiae exsecratae et altaria exsecrata post debitam reparationem a Nobis denuo consecrari necesse est, non secus ac ecclesiae novae: ecclesiae tamen et sacella etiam a Sacerdote a Nobis ad hoc delegato, ut supra, benedici possunt, ut in eis super altare portatile celebrari queat.

CAPUT II

DE COEMETERIIS CATHOLICIS ET SEPULTURIS FIDELIUM

Ad loca sacra etiam spectant **coemeteria catholica**, agri nimirum illi, in quibus grana ad perpetuam vitam seminantur (ait Tertulianus); sunt enim quaedam appendix, quoddam accessorium ecclesiae; sunt loca ab Episcopo vel de ejus mandato a sacerdote solemniter in sepulturam fidelium benedicta, ab Ecclesia et a fidelibus in speciali honore habita, ideoque non minus quam ecclesiae ipsae omnino jurisdictioni Ecclesiae subjecta, iis solis exceptis, quae ad sanitatem publicam vel etiam ad modum rectae constructionis spectant. Inde patet, magistratum civilem non posse statuere, quinam sepulturâ ecclesiasticâ in coemeterio catholico donandi, quinam vero eâ privandi sint.

Coemeteria undique muro claudi, et in eis Crux alta erigi oportet. Ob loci reverentiam ab immunditiis, vepribus et herbis purgenter, bestiis nunquam pateant, viae publicae (nisi ex necessitate) non inserviant, merces ibi non exponantur, lintea domestica non expandantur, nec quidquam profanum in eis exerceatur. Etiam providendum, ne cruces de tumulis deciduae ac monumenta sepulcralia negligantur, ne inscriptiones incongruae apponantur, sed ut omnia in eis pie et decenter conserventur. Coemeteria rite curata pastori et fidelibus summo honori vergunt.

In coemeteriis, quatenus commode fieri potest, speciales et ab aliis separati loculi constituantur in sepulturam parvulorum baptizatorum, qui ante annos discretionis obierunt. — Intra ambitum coemeteriorum convenienter etiam eriguntur ossuaria, in quibus fidelium ossa ex sepulcris effossa debito ordine disposita reponantur; sint autem rite occlusa.

In quavis parochia (nisi jam aliud adsit coemeterium civile non benedictum) in coemeterio catholico specialis designetur angulus, seu pars aliqua extrema, muro aut saltem fossâ separatus, non benedictus, in sepulturam infantium absque baptismo mortuorum, aliorumque quibus sepultura ecclesiastica forte deneganda est. Quibus autem adultis deneganda sit ecclesiastica sepultura, ex Rituali Romano satis liquet. Horum humationi sacerdos non intersit, nec ulla cultus ecclesiastici signa illis concedat.

Coemeterium benedictum **polluitur** per sepulturam infidelis non baptizati vel etiam infantis absque baptismo mortui, et per sepulturam excommunicati vitandi, denunciati : item coemeterium benedictum ecclesiae contiguum polluitur pollutâ ecclesiâ. Coemeterium pollutum quamprimum a Sacerdote a Nobis ad hoc deputato juxta **Rituale** reconciliari debet.

Quoad sepulturam ipsam, ut eâ qua par est pietate ac decentia peragatur, sequentia decernimus :

1. In templis non sepeliantur nisi viri ecclesiastici, vel personae civili dignitate praefulgentes aut de Ecclesiâ optime meritae.

2. Cadavera prope altaria non sepeliantur, sed sepulcra tribus saltem cubitis seu uno metro cum dimidio a suppedaneo distent.

3. Nullus terrae demandetur nec in arcâ occludatur, nisi post tale temporis intervallum, ut de morte omnino constet.

4. Sepulcra effodiantur et cadavera condantur eâ terrae altitudine quae praepediendis exhalationibus sufficiat, duorum circiter vel saltem unius metri cum dimidio.

5, De nocte funus non ducatur nec exsequiae peragantur, nisi de licentia Nostra ; nec festis solemnioribus, nisi aliter fieri omnino non possit.

6. Corpora perpetuae sepulturae tradita exhumari aut alio asportari non licet, absque Nostra in scriptis facultate.

7. Quilibet fidelis in coemeterio parochiae sui domicilii vel quasidomicilii sepeliendus est, nisi sepulcrum gentilicium habeat, aut vivus alium sepulturae locum selegerit. Quod si heredes aliter cupiant, tunc nonnisi de consensu parochi domicilii vel quasidomicilii illius defuncti, et cum litterali ejus testimonio corpus efferri et alibi sepeliri poterit, quo in casu poterit praedictus parochus id exigere, quod fert jus sepulturae in illa parochia.

8. Idipsum ubique servari volumus, ut nempe legitime praescripta locorum consuetudo pro jurium parochialium taxa vim legis habeat, nec tamen ob dilata aut recusata jura sepulturam differri aut recusari permittimus.

9. Retinendum pariter commendamus fidelibus perantiquum oblationum pecuniae et panis usum, nec non perdurantem jam a primaevis Ecclesiae temporibus consuetudinem, defunctorum corpora accensis comitandi cereis, quos dein parochis competere declaramus, nisi obstet mos vel conventio.

10. Nemini quemquam in funere laudare licet (ait Concil. Aquisext. tit. de Funeribus), nisi personas in eminenti dignitatis gradu constitutas; quod si alicubi mos aliter invaluit, summa cum prudentia id fiat. Sub hac tamen prohibitione non intelligi volumus brevem allocutionem, quae in parochiis mixtis vel in locis acatholicis super tumulum magna cum auditorum aedificatione fieri solet, cum ea non sit panegyricus, laudatio defuncti, sed simplex expositio alicujus veritatis catholicae vel alicujus caeremoniae sacrae liturgiae, apta ad refellendas opiniones erroneas, et ad conciliandos religioni catholicae animos.

11. Caeremonias in Rituali Romano pro sepultura praescriptas accurate servari, et speciatim quae cantanda praescribuntur, cantari praecipimus. Consulatur Man. Rit. pag. 381-396.

CAPUT III

DE CULTU DIVINO, VARIISQUE AD ILLUM SPECTANTIBUS

Ubique Deo exhibetur cultus internus, externus vero praecipue in templis eidem sacratis. Prior posteriore alitur et augetur. Hinc parochos clericosque omnes in Domino hortamur et obsecramus, ut quaecumque ad divinum cultum attinent, rite pieque obire satagant, ac ea diligenter observent observarique curent, quae sequentibus paragraphis praescribentur.

§ 1. *Missae sacrificium.*

Principalis actus, imo cardo ac centrum cultus divini est sacrificium missae. Ideo sacerdotes saepius recordentur et serio perpendant Decretum Trid. Sess. XXII de observandis et evitandis in celebratione missae : *Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter.*

1. Igitur praeter necessarium semper gratiae statum, maxima ad tremendum hoc sacrificium afferatur animi collectio ac praeparatio, hausta praesertim ex meditatione matutinali quam enixe commendamus, et Matutini saltem cum Laudibus recitatione missae praemittendâ nisi legitima causa illius dilationem cohonestaverit.

2. Praecipimus dein cum conc. Mediol. I, c. 5 omnibus sacerdotibus, ut caeremonias a Romana Ecclesia pro missae celebratione institutas apprime calleant, et alias non adhibeant, nec celerius nec lentius, quam par est, ritus exsequantur aut verba proferant, ne nimiâ praeci-

pitatione gravis irreverentiae erga sacramentum et gravis scandali erga populum culpam committant, nec nimiâ tarditate adstantes taedio afficiant: memores sententiae S. Ligorii n. 400 *difficulter posse excusari a mortali Sacerdotem qui infra quadrantem Missam absolveret etiamsi sit ex brevioribus;* et dicti Bened. XIV et aliorum *Missam non breviorem triente nec longiorem dimidiâ horâ esse debere.* — Ideo Diaconos monemus, illos ad presbyteratus ordinem non esse promovendos, nisi per seminarii Nostri moderatores, vel si sint religiosi, per legitimos eorum Superiores Nobis prius constiterit, illos rite obeundis praescriptis caeremoniis pares esse, nec ipsis, tribus saltem primis vicibus, nisi assistente perito sacerdote, celebrare licere. — Et quia ex infirmitate humanâ etiam illa quae optime callebamus, paulatim e memoriâ elabuntur, sacerdotes monemus, ut identidem rubricas missae vel in missali vel in probato auctore relegant et exerceant; et ut in ipsa celebratione verba non memoriter pronuncient sed in Missali legant.

3. Nullus sacerdos missam celebrare praesumat cum pileolo (*calotte*) aut galericulo seu capillatione fictâ (*perruque*) nisi obtenta licentia, neque sine toga talari, nisi in itinere constitutus nec talarem nec supplementum commode obtinere queat. Quoad paramenta, vasa sacra, ministrantem, tempus et locum accurate observet rubricas Ecclesiae in Man. Rit. pag. 81-108 traditas. Summam in specie diligentiam adhibeat ad procurandam sibi materiam aptam sacrificii, hostias **recentes,** et vinum **de vite.** Idcirco validitati augustissimi hujus Sacrificii prospicere cupientes praecipimus, ut parochi aliique ecclesiarum rectores singulis circiter mensibus hostias recentes sibi comparent, easque in loco sicco asservent: item ut vinum pro missâ meracissimum non a vulgaribus cauponis sed a probis vinearum proprietariis aut a mercatoribus religiosis emant. (Man. Rit. pag. 91 et 92.)

4. Nulli liceat bis in die celebrare, praeterquam: 1. in

festo Nativitatis Domini, quo die cuilibet sacerdoti liberum est, etiam ex sola devotione, tres missas celebrare. — 2. Quando quis, ob gravem a Nobis examinandam et probatam causam, obtinuit a Nobis specialem licentiam ad binandum. Haec licentia non nisi in casu necessitatis, cum ex una parte urget praeceptum audiendi missam (ergo tantum diebus Dominicis et Festivis), et ex altera parte non adest alius sacerdos, concedi potest: ut cum quis duabus parochiis vel etiam duobus populis dissitis praeficitur, et non habet alium presbyterum qui pro eo alteram missam celebrare valeat; vel etiam cum in uno eodemque loco magna fidelium pars necessario missâ careret nisi sacrificium iteretur. — 3. Si in morbum parochus quispiam aut alter sacerdos officium quasiparochiale habens incidat aut moriatur, et instante Dominicâ vel die festivo tempus non suppetat ad specialem a Nobis licentiam impetrandam, poterit quilibet parochus vicinus vel alter sacerdos (si per tempus liceat, a R. Decano designandus) die Dominico aut festivo binare, quam tamen facultatem non ultra octo dies protrahi volumus, donec nempe speciales a Nobis instructiones obtinere potuerit. — 4. Cum licentia binandi non nisi ob necessitatem fidelium concedatur, et potius parochiam vel populum quam sacerdotem respiciat, ea licentia alicui sacerdoti concessa, in casu momentaneae aegritudinis vel absentiae ejusdem ipso facto in eum presbyterum transit, qui illius vices obit. — 5. Meminerint sacerdotes, quibus specialem ad binandum licentiam concesserimus, nullum pro alterâ missâ stipendium **proprie dictum** accipi posse (nisi speciale Sanctae Sedis Indultum aliud quid statuat). Consulatur Man. Rit. pag. 184-190.

5. Omnes re verâ curam animarum gerentes, sive sint parochi instituti, sive viceparochi amovibiles, vel parochiam ad tempus administrantes, tenentur omnibus diebus Dominicis, et diebus festivis tum eis qui adhuc de praecepto servantur, tum illis etiam qui olim juxta Constitu-

tionem Urbani VIII (die 13 Sept. 1642) praecepti nunc ex Apostolicae Sedis indulgentia abrogati vel translati sunt, missam pro populo seu parochianis vivis et defunctis absque stipendio applicare, nisi obtenta fuerit dispensatio. Dies juxta Constitutionem Urbani VIII praecepti (praeter dies Dominicos) sunt sequentes:

A. Festa Domini: Nativitas, Circumcisio et Epiphania Dni, feriae II et III Paschae et Pentecostes, Ascensio Dni, Corpus Christi et Inventio S. Crucis.

B. Festa B. Mariae V.: Conceptio, Purificatio, Annunciatio, Assumptio et Nativitas.

C. Festa S. Michaëlis Arch., S. Joannis Bapt., et S. Joseph.

D. Festa Apostolorum: Petri et Pauli, Andreae, Thomae, Joannis, Mathiae, Philippi et Jacobi, Jacobi Maj., Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Judae.

E. Festa SS. Stephani, Innocentium, Silvestri, Laurentii, Annae, Omnium Sanctorum, et Patroni primarii Ditionis ac Patroni primarii parochiae. Vide Man. Rit. pag. 109–111.

6. Notam exactam habeant et servent singuli presbyteri tum missarum ad quas vi beneficii seu officii tenentur, tum potissimum stipendiorum manualium seu retributionum missarum, ac quà ratione facienda sit applicatio, serio perpendant. Hac super re bene notent, tot recipi non posse stipendia, quibus intra bimestre vel saltem trimestre satisfieri non possit, nec ultra hoc temporis spatium posse missarum celebrationem, nisi ex dantium consensu, differri. Imo in missis pro recens defuncto celebrandis dilatio unius mensis gravis reputatur, et certe ad restitutionem stipendii tenetur sacerdos, qui petitam et promissam missam pro aliqua instante gratia impetrandà, intra tempus aptum celebrare omittit.

7. Quoad collectas pro defunctis in parochiis fieri solitas, ne earum persolutio diutius differatur, nec non ut alii abusus praecaveantur, praecipimus, ut earum

proventus singulis vicibus statim in sacristia parocho vel rectori remittatur, qui accuratam earum computationem conficiet. Imo optamus, ut collectio ipsa cum capsulâ occlusâ peragatur. Quoties parochus vel rector missarum retributionibus sive manualibus sive ex collectis per se impar est persolvendis, poterit quidem eas sacerdotibus Dioecesis ipsi notis applicandas tradere, vel eas cum accuratâ intentionum indicatione ad Nostram Cancellariam transmittet, ubi presbyteri stipendiis destituti eas obtinere poterunt. Ast serio caveat, missarum retributiones sacerdotibus ignotis tradere vel extra Diœcesim transmittere. — Meminerint dein sacerdotes quando accepta missarum stipendia aliis persolvenda tradunt, integrum eis stipendium acceptum remittendum esse, et damnatam esse ab Alexandro VII propositionem 9ª: *potest sacerdos, cui missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retentâ.*

8. Notent etiam Decretum Trid. Sess. XXII De observandis et evitandis in celebratione missae: *singuli in suis dioecesibus interdicant, ne cui vago et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat*. Huic decreto obsequentes praecipimus, ut parochi et ecclesiarum rectores nulli ignoto sacerdoti facultatem celebrandi concedant, nisi visis antea Curiae Nostrae permissoriis litteris. Rigorem tamen hujus praecepti pro temporum adjunctis mitigare cupientes statuimus, ut illi extra civitatem residentiae Nostrae, ubi recursus ad Curiam nostram est difficilior, per tres vel quatuor dies, in civitate Friburgensi vero per unum diem seu una vice sacerdoti extraneo Dioecesim pertranseunti celebrationem permittere possint, dummodo hic litteras testimoniales sui Ordinariatus (*Célébret*) exhibeat, vel aliàs ut verus et orthodoxus sacerdos certo innotescat. Qui vero diutius in Dioecesi permanere et celebrare voluerit, necessario permissorias litteras a Nobis vel a Curiâ nostrâ impetrare et exhibere debet.

§ 2. *Missa cantata.*

Cùm diebus Dominicis et festivis in ecclesiis parochialibus et filialibus missa cantetur, sequentia statuere vel in memoriam revocare judicavimus :

I. Circa **Cantum**: 1. Omnibus et singulis junioribus Clericis praecipimus, ut cantum Gregorianum seu planum (*plain-chant*) addiscant; — 2. Quoniam modestia nostra omnibus hominibus nota esse debet, sit eorum, qui in ecclesiis psallunt, cantus religiosus et modestus ;..... distincte et articulate decantentur divinae laudes;... cantus et sonus graves sint, pii ac distincti. Conc. Mediol. I., c. 5. — 3. Nihil praecipitationis causâ in missâ omittatur, sed omnia, Introitus, **Kyrie** novies repetitum, **Gloria** et **Credo** integrum, Offertorium, **Sanctus** cum *Benedictus*, **Agnus Dei,** Communio, et post Epistolam *Alleluia* vel Tractus, et quaecumque celebranti sunt respondenda, a choro cantari debent. Ubi adhibetur Organum, in Kyrie, Gloria, Sanctus et Agnus Dei, alterni versus seu partes, necnon Graduale, Offertorium et Communio per Organum suppleri possunt, modo partes quae omittuntur, ab aliquo in choro recitentur; Symbolum vero semper integre decantari debet, nec potest celebrans interea missam prosequi. (Man. Rit., pag. 211.) — In Dominicis Adventùs (exceptâ Dom. III) et Quadragesimae (exceptâ Dom. IV) Organum non adhibetur, exceptis festis et feriis eo tempore occurrentibus, quae cum solemnitate celebrantur. Caer. Episc. l. I, c. XXVIII. Quoad cantum in lingua vernaculâ et cantum musicum consule Man. Rit. pag. 212.

II. Circa **Incensationem.** In omni Missâ (etiam in missâ de Requiem) cum ministris sacris cantatâ incensari debet altare. In missâ sine Diacono et Subdiacono etsi aliàs solemnissime cantatâ, de jure non incensatur altare ante Introitum et post Offertorium : in hac tamen Dioecesi (ex Indulto Apostolicae Sedis die 5 Jun. 1862) diebus

solemnioribus et festivis in missa cantata absque Diacono et Subdiacono adhiberi valent thurificationes, velut adhibentur quando canitur missa cum ministris sacris. Uniformitatis gratiâ statuimus thurificationes in missa cantata sine ministris sacris faciendas esse diebus sequentibus: Nativitas, Circumcisio et Epiphania Dni, Pascha, Ascensio Dni, Pentecoste et Corpus Christi, Assumptio, Nativitas et Im. Conceptio B. M. V., festum SS. Ap. Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum, Dedicatio propriae ecclesiae, et festum primarii Patroni parochiae vel etiam Titularis ecclesiae, Preces quadraginta horarum, Prima puerorum Communio, Dominica III Septembris, et festum Titulare Confraternitatis canonice in ecclesia erectae.

III. Circa **Ordinem.** Ut fideles non tantum diebus Dominicis et festivis officiis divinis, sed etiam diebus profestis, quantum per eorum negotia licet, missae sacrificio libenter intersint, necesse est horam officiorum et missae parochianis commodam constituere, nec eam immutare, nisi cogente gravi causâ fidelibus prius annunciandâ. Hinc volumus et instanter commendamus, ut non solum hora fidelibus commoda divinis officiis constituatur, sed insuper ut sacerdotes, quamprimum horologium bene regulatum horam sacrae functioni statutam sonuerit, illico nullâ interpositâ morâ ad altare accedant. (Man. Rit., p. 491.)

CAPUT IV

CULTUS SS. EUCHARISTIÆ

Praeter missam praecipuum certe in Cultu divino locum occupat Ss. Eucharistia. Circa hanc sequentia in memoriam revocare aut praecipere volumus.

§ 1. *Asservatio Ss. Eucharistiæ.*

1. Cum juxta Rituale Ss. Eucharistia conservanda sit in pyxide ex solidâ decentique materiâ suo operculo bene clausâ; praecipimus, ut sacrae species nunquam in cistulâ ex charta spissa (*carton*) aut ligno aut crystallo, sed vel in ciborio aut pyxide ad hoc benedictâ bene clausâ, vel ad tempus in calice pallâ tecto asservetur, et ut ciborium velo **albo** coopertum sit. Pariter praecipimus, ut Hostia major, quoties post impertitam Benedictionem ex Ostensorio extrahitur, non aperta super nudum corporale in tabernaculo reponatur pulveri et insectis obnoxia, sed ut etiam ipsa in aptâ capsulâ seu pyxide intus inauratâ in tuto recondatur. (Man. Rit. p. 295 et 296.)

2. Ss. Eucharistiae, ubicumque deponitur, Corporale substerni debet. Sacerdos nunquam tabernaculum aperiat, aut vas Ss. Eucharistiam continens tangat, nisi superpelliceo (aut alba) et stolâ indutus, et accensis duobus saltem cereis.

3. Sacras Species frequenter, singulis circiter quindecim diebus (in tabernaculis humidioribus saepius) renovare praecipimus, quod etiam de hostia majore pro benedictionibus intelligi volumus; et quoties hostiae renovantur, veteres prius distribui vel absumi et ciborium rite purificari debet. Man. Rit. pag. 181-183.

§ 2. *Expositio et Benedictio Ss. Sacramenti.*

Licet Ecclesia, utpote mater tenerrima et summe sollicita, quotidianis pietatis operibus, tanquam cibis spiritualibus, filios suos enutriat; quaedam tamen ad certa tempora servare consuevit, ut fidelium fidem uberiore gratiarum fluxu excitet, illorumque devotionem et fervorem stimulet. Talis est Ss. Sacramenti Expositio et Benedictio, in qua Christus se, sub specie panis, singulari amoris et beneficentiae prodigio fidelibus adorandum praebet, a patribus antiquis raro permissa. Nos, ne horum praxi contraire, nec fidelium devotioni deesse videamur, statuimus et decrevimus:

1. Nemini licet Ss. Sacramentum publice exponere, nisi a Nobis vel generalem (v. gr. per praesentes Constitutiones aut aliam Nostram Instructionem) vel in casu particulari specialem obtinuerit licentiam.
2. Non in alio altari quam in majori, exponatur Ss. Sacramentum, et quidem regulariter in Ostensorio.
3. Toto tempore expositionis decem ad minimum ardeant cerei albi.
4. Non possunt unà cum Ss. Sacramento eodem tempore in eodem altari exponi Sanctorum Reliquiae.
5. In altari expositionis seu coram exposito Ss. Sacramento missae tam privatae quam cantatae celebrari vetantur, praeterquam missa solemnis pro eo reponendo in Oratione Quadraginta Horarum; nisi adsit necessitas, si nempe alia altaria desint. Cum tamen in hac Dioecesi passim adhuc vigeat consuetudo, ut exposito publicae adorationi Ss. Sacramento in eodem altari missa cum cantu celebretur, ex Indulto apostolicae Sedis retineri potest, quousque decursu temporis sine populi offensione et scandalo eliminetur. Hunc in finem, et ad uniformitatem in dioecesi obtinendam statuimus, unam missam cantari vel celebrari posse et debere coram exposito Ss. Sacra-

mento seu in ipso expositionis altari: 1. singulis tribus diebus Orationis Quadraginta Horarum; 2. in festo Corporis Christi et per Octavam; 3. in Nativitate Dni (in missa diei), in Paschate et Pentecoste, in ecclesiis tantum ubi ille usus adhuc existit.

6. In omnibus festis solemnioribus supra jam enumeratis: Nativitas, Circumcisio et Epiphania Dni; Pascha, Ascensio Dni, Pentecoste et Corpus Christi (cum hujus Octava); Assumptio, Nativitas et Im. Conceptio B. Mariae V.; festum SS. Ap. Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum; Dedicatio propriae ecclesiae, et festum primarii Patroni parochiae vel etiam Titularis ecclesiae: Preces Quadraginta Horarum (singulis diebus), prima puerorum Communio, Dominica III Septembris (solemnis gratiarum actio), et festum Titulare Confraternitatis canonice in ecclesia erectae: mane post missam cantatam (vel saltem principalem) et tempore pomeridiano post Vesperas aut Completorium fit expositio et datur Benedictio Ss. Sacramenti.

7. Insuper tempore Quadragesimali et iterum tempore aestivo nec non mense Mariano fiunt preces et datur Benedictio Ss. Sacramenti juxta morem in Diœcesi praescriptum.

8. In omnibus his expositionibus ac benedictionibus servetur ritus Ecclesiae Romanae in Man. Rit. pag. 321–330 expositus.

§ 3. *Processio Ss. Sacramenti.*

Ad splendorem Cultus divini plurimum conferunt Processiones, modo rite et decore fiant; quia aliàs religio potius contemnitur et vilescit. — Inter varias processiones eminet Processio theophorica seu Ss. Sacramenti. Haec juxta liturgiam Romanam instituitur solemnissime in festo Corporis Christi; et minus solemniter in ejus die Octava, in Oratione Quadraginta Horarum, in Cœna Dni

et in Parasceve (ab altari ad Sacellum seu Repositorium, et inde ad altare), et in delatione Communionis ad infirmos : his adjungimus Processionem Ss. Sacramenti post missam cantatam in Paschate, Pentecoste et in Nativitate Dni (post missam diei), pro parochiis ubi talis usus viget. In his processionibus accurate servetur ritus in Man. Rit., pag. 330-340, descriptus.

CAPUT V

PROCESSIONES ALIÆ

Praeter Processiones Ss. Sacramenti aliae insuper per annum in ecclesiis instituuntur, sive a sacra Liturgia praescriptae, sive in Diœcesi ab antiquo usitatae et approbatae. Hae sunt :

1. Processio Candelarum die 2 Februarii, et Palmarum in Dominica Palmarum peragenda, juxta ritum in Man. Rit. pag. 432 et 435, etc., expositum.

2. Processio Rogationum tribus diebus ante Ascensionem Dni, et die 25 Aprilis peragenda, ut in Man. Rit. pag. 475-481.

3. Processio Mariana ratione Confraternitatis Ss. Rosarii, vel s. Scapularis, singulis mensibus stato die peragenda, ut in Man. Rit., pag. 483.

4. Processio Sanctorum aut sacrarum Reliquiarum, in festo Patroni vel Sancti cujus possidetur Reliquia, et in ecclesiis praesertim ruralibus ab Inventione ad Exaltationem S. Crucis singulis diebus Dominicis (nisi jam alia Processio occurrat) et feriâ II cujusque hebdomadae

peragenda juxta morem Dioecesis in Man. Rit., pag. 483-485 traditum.

5. Processio pro animabus purgantibus in anniversariis defunctorum et feria II cujusvis hebdomadae (nisi quid obstet), per cœmeterium ecclesiae contiguum vel saltem vicinum instituenda, ut in Man. Rit. pag. 291-292.

His processionibus quae ordinariae vocari possunt, quia regulariter in omnibus parochiis praesertim ruralibus fiunt, accedunt Processiones extraordinariae, quae occasione alicujus extraordinariae calamitatis, ut siccitatis vel perdurantis pluviae, etc., modo intra parochiam fiant, ex communi parochi et parochianorum consensu, cum libuerit, institui poterunt. — Alias processiones extraordinarias quascumque, etiam decanales, absque speciali Nostra facultate non nisi ex gravi ratione concedendâ, omnino prohibemus.

Ordinarias processiones exacte fieri praecipimus, Clericis omnibus in loco degentibus, cujuscumque sint dignitatis, mandantes, ut iisdem, praecipue Rogationum et Corporis Christi, intersint, nisi gravi causa impediantur.

In ecclesia parochiali incipienda est processio quaevis atque illuc reducenda, nunciandaque fidelibus quadraginta dierum indulgentia, quam post Cels. D. de Montenach iis qui quamlibet ex permissis extraordinariis processionibus constanter comitantur, benigne concedimus.

Ut autem decentia et debitus ordo serventur, invigilent cum parochi tum locorum praepositi.

CAPUT VI

DOMINICAE ET FESTA DE PRAECEPTO

Ad Cultum divinum requiruntur ac specialiter deputantur dies Deo sacri, nempe Dominicae et Festa. Festa alia sunt universalia, alia particularia specialis Dioecesis aut etiam parochiae.

In Dioecesi Lausannensi, post Instructionem pastoralem Celss. D. Stephani Marilley de 18 Februarii 1859, praeter singulas Dominicas, sequentes dies festivos sub duplici praecepto servandos declaramus :

I. In Ditione **Friburgensi**, et in Districtu **Echallens** Ditionis Valdensis (seu in parochiis ab antiquo catholicis): Nativitas, Circumcisio, Epiphania et Ascensio Dni, Corpus Christi, Im. Conceptio, Purificatio, Annunciatio et Assumptio B. M. V., festum Omnium Sanctorum, et festum Patroni principalis parochiae. — Festa SS. Apost. Petri et Pauli, Nativitatis B. M. V. Titularis Dioec. (et in Dit. Friburgensi S. Nicolai Patroni Ditionis), ubi non sunt particulares Patroni parochiae, — quoties non occurrunt in die Dominica, pro foro in Dominicam sequentem transferuntur.

II. In parochiis Ditionis **Valdensis** in regione acatholicorum recenter erectis, et in omnibus parochiis Ditionis **Novicastrensis** : Nativitas, Circumcisio et Ascensio Dni, Corpus Christi, Assumptio B. M. V., festum Omnium Sanctorum, et festum Patroni principalis parochiae. In illis parochiis Epiphania Dni, festum SS. Apost. Petri et Pauli, et Nativitas B. M. V., quando non occurrunt in die Dominica, pro foro in Dominicam sequentem transferuntur ; et per Indultum de die 17 Novembris 1881 Im. Conceptio et Annunciatio B. M. V. pro foro transferendae,

Im. Conceptio Dominicae II Adventûs, ac Annunciatio Dominicae IV Quadragesimae assignantur.

Nobis a Sancta Sede concessa est facultas, festum Patroni parochiae pro foro in Dominicam sequentem transferendi, quando major fidelium ejus parochiae numerus propter rationes legitimas id desiderat et exposcit.

III. Ad mentem Constitutionis Urbani VIII diei 13 Septembris 1642 declaramus et conservamus Nativitatem B. Mariae V. tanquam Titulum et Patronam Dioecesis Lausannensis, et S. Nicolaum Episcopum tanquam Patronum Ditionis Friburgensis.

IV. Omnibus aliis festis, etiamsi olim praecepta fuerint, aut etiam voto a communitate firmata fuissent, apostolica auctoritate suppressis, evidens est, eadem nec amplius ut praecepta populo denuncianda nec pro fidelibus obligatoria esse.

Quaenam vero opera diebus Dominicis et Festis sive praecepta sive prohibita sint, sufficienter tradunt auctores Theologiae moralis. — Attamen opera ruralia aut etiam alia poterit quivis parochus ex gravi causa permittere. Quod si quis sine licentia operibus servilibus vacaverit, superioribus civilibus deferatur pro ratione delicti puniendus. — Confirmamus et in robore permanere volumus prohibitionem jam dudum factam, ne diebus Dominicis et de praecepto festivis matrimonialis benedictio conferatur, nisi in casu necessitatis. — Tandem cum necessarium sit, ut qui in sortem Domini vocantur, jugum ejus ab adolescentia portare assuescant, volumus et mandamus in virtute obedientiae omnibus clericis, ubicumque in Nostra Dioecesi degentibus, ut ecclesiam aliquam in loco sui domicilii eligant, in qua divinis officiis et concioni intersint, et munera ordini suo congrua, in quantum poterunt, exerceant: praecipimus insuper, sub poena Nobis arbitraria, ut ad sacram synaxim, semel saltem intra quindecim dies, aut saepius accedant.

DIES JEJUNII ET ABSTINENTIÆ

Sicut in Ecclesiâ dantur dies laetitiae, ita et dantur in eâ dies pœnitentiae, nempe jejunales: hi ergo quamdam habent cum diebus festivis analogiam. Quocirca sequentia in hac Dioecesi observanda esse jejunia declaramus, atque ut in prono praecedentis Dominicae annuncienter, praecipimus: 1. totum tempus quadragesimale, exceptis Dominicis, in quibus non jejunatur, sed a carne abstinetur; — 2. ferias IV, VI et Sabbatum singulorum quatuor temporum; — 3. vigilias Pentecostes, Assumptionis, Omnium Sanctorum, et Nativitatis Dni; — 4. ferias VI et sabbata Adventus, (in locum aliarum vigiliarum per annum auctoritate Apostolica substitutas). Dies abstinentiae declaramus omnes dies jejunii (nisi pro tempore quadragesimali concessa fuerit dispensatio), et praeterea omnes ferias VI per annum.

Quid vero ad duplex hoc praeceptum servandum requiratur, consulantur probati auctores. In nostrâ tamen Dioecesi lacticinia longissimo et legitime praescripto usu licite diebus jejunalibus comeduntur; atque ut per totam Quadragesimam, exceptis feria VI quatuor temporum et parasceve, fideles ovis utantur, permitimus. — Potest etiam quivis parochus esum carnium pro quocumque jejunii et abstinentiae die suis parochianis permittere ratione morbi vel infirmitatis vere talis.

CAPUT VII

DE SACRAMENTIS

Art. I. *De Sacramentis in genere.*

Post Missae celebrationem et Ss. Eucharistiae cultum, praecipuum inter functiones ecclesiasticas locum obtinet administratio Sacramentorum. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* I Cor. 4, 1.

Quae ad Sacramentorum validitatem et liceitatem requirantur, abunde tradunt Theologi dogmatici et morales. Eos ergo frequenter consulant sacerdotes. Sequentia tamen modo speciali inculcare vel etiam statuere decrevimus.

1. Sacramenti dispensator imprimis sollicitus sit, ut habeat **materiam** certo validam a Christo institutam, memor principii: *non licet, in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore*[1].

2. Ut **formam** a Christo designatam et ab Ecclesia usitatam sine ullâ immutatione, additione, omissione, transpositione, et sine interruptione ore seu articulate proferat, et quidem absolute, vel sub conditione de praeterito aut de praesenti purificatâ, cum conditio de futuro suspensiva invalidaret Sacramentum..

3. Ut habeat **intentionem** seu voluntatem, actualem vel saltem virtualem, faciendi quod facit Ecclesia.

4. Licet ad Sacramenti validitatem non requiratur ministri **probitas** (exceptâ Poenitentiâ, si nempe minister per

[1] Prop. 1. ab Innocentio XI damnata.

crimen amisit jurisdictionem), eam tamen ad licitam ejus administrationem necessariam esse, nemo est qui dubitet. Imo cum sancta sancte sint tractanda, nunquam Sacramenta conferant ministri, nisi prius humili et devota prece gratiam Spiritûs Sancti imploraverint.

5. Vocati ad Sacramenti administrationem parochi, aliique quibus id officium demandatum est, quacumque sive noctis sive diei horâ absque morâ procedentes, non inamoenum aut molestum vultum exhibeant, imo parochianos identidem moneant, se fore quocumque tempore et loco, quacumque viâ, paratos, ad Sacramenta pauperibus aeque ac divitibus conferenda, solam Dei gloriam et animarum salutem, non vero lucrum temporale, intendentes.

6. Ne sacerdotum in sacris tractandis negligentia et incuria pietatem populi imminuat, mandamus, ut Sacramentorum ministri caeremonias Ritualis Romani calleant et fideliter observent, memores noti Canonis: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit* [1]. — Et ut populus intelligat, non vulgarem sed coelestem agi rem, dum Sacramenta administrantur, praecipimus, ut omnis illa conferens indutus sit super togam talarem vestibus a Rituali praescriptis, superpelliceo et stola, nisi aliud postulet instans necessitas aut faveat indultum, vel pro sacramento Poenitentiae occasio vel locus aliter suadeat.

7. Opportunam etiam aliquoties in Sacramenti administratione occasionem nanciscantur, brevi et facili sermone exponendi doctrinam de Sacramentis in genere, et in specie illius quod modo administratur, prout temporis et adstantium adjuncta suadere videbuntur.

[1] Trid. Sess. VII, can. 13.

8. Cum Christus dixerit: *Nolite dare sanctum canibus*. Matth. 7, 6; non licet Sacramenta conferre iis, qui scientiâ extra confessionem acquisitâ noscuntur eadem indigne suscepturi, quales sunt peccatores publici non emendati; ideoque Sacramentorum ministri circa haec accurate servent regulas sanae Moralis.

Art. II. *De Baptismo.*

Quoniam Baptismus est primum omnium Sacramentorum, janua Ecclesiae, et ad salutem omnino necessarius, summam pastores animarum, aliique ad quos spectat, diligentiam adhibeant, ad eum valide et rite conferendum.

1. **Materia** Baptismi solemnis est aqua baptismalis, Sabbato Paschae vel Pentecostes solemniter benedicta: si haec quovis modo defecerit, alia etiam extra praedictos dies formulâ speciali Ritualis benedicenda est. Materia Baptismi privati est aqua benedicta communis, et in hujus defectu quaelibet aqua naturalis etiam non benedicta. Si sacerdos (vel diaconus) urgente necessitate baptismum privatum extra ecclesiam ministrat, aquam baptismalem ex fonte secum deferet quantum tempus permittit; laicus vero (aut etiam clericus diacono inferior) in baptismo privato aquam baptismalem adhibere nequit. Fons baptismalis seu baptisterium collocetur in ecclesiae ingressu a parte evangelii, si per spatium licet, non autem prope altaria nec in presbyterio; sit decoro operculo tectus, clave perpetuo obseratus et ita occlusus ut pulvis et insecta intro non penetrent. Olea sacra in nitidis ampullis occlusa et sal baptismale asserventur sub clavi in decenti capsulâ prope altare vel in sacristia.

Haec aqua baptizando applicatur (juxta vigentem nunc Ecclesiae latinae morem) per trinam infusionem, et quidem super caput ut omnium sensuum centrum, et in tali copiâ, ut fluat et infans vere ablutus censeatur.

2. **Forma** baptismi, juxta Matth. 28, 19, exprimat actionem baptizantis, personam baptizati, unitatem divinae essentiae et trinitatem personarum : in baptismo solemni linguâ latinâ proferri debet, et in baptismo privato linguâ vulgari proferri potest. Illi quandoque apponi potest conditio *si vivis*, cum de vitâ dubitatur; aut *si non es baptizatus*, cum prudenter dubitatur, an persona baptizanda jam sit baptizata, et an ille baptismus fuerit validus. Hac tamen conditionali formâ non passim aut leviter uti licet sed prudenter, et ubi, re diligenter pervestigatâ, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum. Tale prudens dubium adest : 1. dum infans fuit expositus etiam cum schedâ baptismi attestativâ, vel derelictus a vagis et errabundis; 2. cum infans in parte corporis minus notabili, v. gr. pede, manu, fuit baptizatus; 3. cum infans domi a personâ minus peritâ aut mentè conturbatâ baptizatus fuit, nisi duo testes fide digni vel unus saltem omni exceptione major affirment, materiam recte fuisse adhibitam et formam rite prolatam; 4 quotiescumque datur ansa timendi de valore baptismi vel ob praecipitantiam aut perplexitatem baptizantis, vel ob materiam dubiam, vel ob dubium de legitima materiae applicatione, aut rectâ verborum prolatione, aut debitâ intentione.

Quoad acatholicos ad fidem conversos inferius dicetur.

3. **Minister** baptismi solemnis est parochus, vel alius sacerdos de ejus mandato vel saltem licentiâ prudenter praesumptâ. Baptismum privatum autem quilibet homo rationis compos et hujus actionis gnarus semper valide et in casu necessitatis etiam licite confert. Pater et mater proprio infanti baptismum non conferant (ne sibi contrahant impedimentum cognationis spiritualis illicitum reddens matrimonii usum), nisi in periculo mortis et in defectu alterius personae catholicae, quae rite et convenienter baptizare valeat. Cum in casu necessitatis ob periculum mortis quilibet homo, praesertim obstetrices

et aliae mulieres non raro baptizare cogantur, parochus diligenter eas instruat circa essentialia baptismi et rectum baptizandi modum, simulque moneat, ut quando baptizare debent, testem, si commode fieri potest, adhibeant, qui dein parocho baptismum rite collatum testari valeat.

4. **Subjectum** baptismi est omnis homo viator nondum baptizatus. Infans neonatus qui nullum dat vitae signum, baptizandus est sub conditione *si vivis*, nisi certo sit mortuus. Etiam fetus abortivus baptizari debet, absolute quidem, si membra humana distincta et motus vitales deprehendantur, alias conditionate, dummodo initium formae humanae habeat nec certe de ejusdem obitu constet. Si mulier gravida moriatur, fetus quamprimum a chirurgo caute extrahi, ac, si vivit, baptizari debet : ideo mulieres, imo et innuptae puellae, periculose aegrotantes, si sunt gravidae, suam graviditatem fidae personae declarare tenentur, ut post earum obitum statim spirituali infantis vitae prospiciatur.

5. **Locus** baptismi solemnis est sola ecclesia parochialis, in cujus districtu nascitur infans. Extra casum necessitatis nemo domi baptizari potest ; nec in ecclesiâ alienae parochiae, nisi de licentia Nostra vel parochi infantis. In eo casu parochus baptizans registris suis illum inscribat, extractumque parocho domicilii ibidem pariter inscribendum mittat. Domi aut alibi privatim baptizato infanti, cessante mortis periculo, in ecclesia parochiali supplendae sunt caeremoniae baptismales : *neque enim*, ait Bened. XIV, *sine gravi peccato negliguntur tam magni ponderis tantaeque antiquitatis ritus ad reverentiam Sacramento conciliandam maxime necessarii*.

6. Frequenter et serio parochi moneant fideles, ne baptismum infantium neonatorum differant, sed ut illos primis post nativitatem diebus ecclesiae praesentent, ut vix mundo nati ad aeternam vitam renascantur.

7. In baptismo solemni, ex vetustissimo Ecclesiae usu

patrini et **matrinæ**, ex Decreto Conc. Trid. ad unum et unam reducti, infantem de sacro lavacro suscipiant. Prohibemus autem ad mentem sacrorum canonum : 1. ne baptizantes ad munus patrinorum admittant pueros (puellas) rationis usum nondum adeptos aut imbecillos, non confirmatos, mysteria fidei ignorantes, nec peccatores publicos, excommunicatos denunciatos, schismaticos aut haereticos, verbo, personas cujuscumque alterius religionis quam Romano-Catholicae. — 2. Instauramus etiam antiquum vetitum, ne sacerdotes hoc munus suscipiant, nisi pro filiis et filiabus proprii fratris aut sororis, vel nisi de licentia Nostrâ. — 3. Nemo catholicus praesumat in baptismo acatholico patrini officio fungi, propter communicationem in sacris. — 4. Moneant parochi patrinos, illos teneri, praecipue in defectu parentum, filios suos spirituales erudire. — 5. Indicent etiam illis spiritualem cognationem inter eos ex una parte et inter baptizatum ejusque parentes ex altera parte, quae est impedimentum matrimonii dirimens. Hoc tamen impedimentum non contrahitur, si suppletioni tantum caeremoniarum ut patrini assistant, nec si nomine alieno seu ut procuratores infantem de sacro fonte suscipiant, nec probabilius in baptismo privato. — 6. Datâ occasione intiment parochi baptizati parentibus et nutricibus gravem prohibitionem, infantem secum in eodem lecto ponendi, antequam unius sit anni completi.

8. **Interrogationes**, quae in ipso Ordine Baptismi continentur et pro quibus formulae in Rituali traduntur, non secus ac reliqua omnia, in linguâ latinâ ut stant in Rituali, proferri debent. Attento tamen usu in Dioecesi vigente, Leo PP. XIII indulsit, ut cuilibet Interrogationi et Responsioni juxta Rituale linguâ latinâ prolatae illico nova interrogatio novaque responsio iteretur idiomate vulgari.

9. Tandem collatum baptismum mox maximâ cum diligentiâ registris baptismalibus **inscribant** parochi sub formulâ in appendice praescripta.

Art. III. *De Confirmatione.*

Sicut per Baptismum vita spiritualis incipit, sic per Confirmationem augetur et perficitur. *Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima consecretur.* Tertul. l. de Resurrect. carnis, c. 8.

Circa materiam et formam hujus Sacramenti in diversas theologi abeunt sententias, aliis impositionem manuum Episcopi cum oratione eam comitante, aliis unctionem cum verbis *Signo te signo crucis...*, aliis utramque requirentibus. Cumque in sacramentis conferendis opinio tutior sit sequenda, praecipimus, ut ante impositionem manuum Episcopi omnes confirmandi praesentes sint, nec exeant nisi completis ab Episcopo singulis precibus. Hunc in finem parochi constituant ad portas ecclesiae custodem, qui inceptâ Confirmationis caeremoniâ confirmandos tardius advenientes ingredi prohibeat, et confirmatos ante finem sacrae actionis exire non sinat, nisi ob necessitatem et sub conditione ut mox iterum ecclesiam ingrediantur et finali Episcopi benedictioni intersint.

Licet Confirmatio non sit ad salutem omnino necessaria, admodum tamen utilis est ad conservandam fidem et tentationes superandas, adeo ut qui ex negligentiâ ejus susceptionem omitteret, peccato non vacaret. Semel tantum in vita hoc Sacramentum suscipi potest, cum imprimat characterem. Quamvis olim Confirmatio mox post baptismum etiam ante usum rationis collata fuerit, in ecclesia tamen latinâ et in Nostra Dioecesi jam diu mos invaluit, ut non tribuatur ante inceptum septennium, nisi in mortis periculo versetur infans, aut immineat persecutio; quod et in futurum servari volumus. Curam specialem adhibeant parochi in edocendis pueris pro Confirmatione, et accepto visitationis mandato bis aut ter in hebdomada prout opus fuerit, eos catechetica lectione instruant. Nullus sine parochi consensu ac ejus

chirographo ad hoc Sacramentum suscipiendum accedere audeat. Quilibet in parochia sui domicilii confirmetur, nisi graves causae aliter suadeant, et tunc nonnisi de licentia proprii parochi scripto datâ alibi admittatur. Confirmandi sacramento poenitentiae, si capaces sint, purgati esse debent. In Confirmatione adhibentur etiam patrini, sed unicus tantum (patrinus pro pueris, matrina pro puellis), qui filium suum spiritualem in actu Confirmationis physice tangat, seu dexteram suam humero ejus dextero imponat. Patrini sint ipsi prius confirmati; et ab hoc munere sunt repellendi, qui juxta supra dicta pro baptismo non admittuntur : debent esse diversi a patrinis baptismi [1]. Patrinus (matrina) Confirmationis etiam impedimentum cognationis spiritualis contrahit cum infante ejusque parentibus.

Demum confirmati accurate in libro confirmatorum inscribantur formula in Rituali tradita.

Art. IV. *De Ss. Eucharistiæ Sacramento.*

Assidue Sacerdotes Domini meditentur pretiosa Christi verba Joan. 6, 51. 52 : *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi : si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Saepe etiam in memoriam revocent ea quae tradit Trid. Sess. XIII, cap. 3. « Commune hoc quidem est sanctissimae Eucharistiae cum ceteris Sacramentis, symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam visibilem : verum illud in eâ excellens et singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur : at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est; et semper haec

[1] Decr. S. Congr. Concilii, die 16 Febr. 1884. Acta XVI, p. 589.

fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere. »

Praeter ea quae suprà de Missae Sacrificio et de Cultu Ss. Eucharistiae jam praescripta fuerunt, hic de Eucharistia ut est Sacramentum et relate ad parochianos sequentia statuimus:

1. Quamvis non necessaria necessitate medii sit Eucharistiae sumptio, est tamen necessaria necessitate praecepti divini, Joan. 6, 54: *Amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* — et ecclesiastici: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno..., suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum..., alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur et moriens christiana careat sepultura. » Lateranen. IV, cap. 21; — et: *Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae; anathema sit.* Trid. Sess. XIII, can. 9.

2. Hoc Ecclesiae praeceptum parochi singulis annis Dominica Passionis seu Dominicâ ante constitutum debito paschali tempus parochianis ex cathedra intimabunt, gravitatem pœnae contra inobedientes exponent, communionem paschalem in ecclesia parochiali fieri debere edocebunt, omnique zelo, precibus et minis contendent ut parochiani singuli debitum hoc paschale persolvant.

3. Ut autem facilior parochis evadat cognitio, num parochiani praecepto Ecclesiae satisfecerint, prohibemus: 1. ne quisquam sine parochi licentia extra suam parochiam communionem paschalem recipiat; — 2. ne presbyteri saeculares aut communitates regulares, si non habent

ecclesiam parochialem, in suis ecclesiis sacram synaxim ad satisfaciendum praecepto distribuant nisi suis subditis, aut illis qui licentiam a proprio parocho obtinuerunt; — 3. ne in ecclesiis parochialibus alius quam parochus aut sacerdos a parocho delegatus id facere praesumat: — 4. cum annua Confessio ratione Communionis tempore paschali praescripta sit, praecipimus, ut Confessarii cuilibet pœnitenti confessionem paschalem instituenti tradant schedam **Signum confessionis paschalis** parocho dein immanuandam.

4. Quilibet fidelis regulariter Communionem paschalem suscipere tenetur in ecclesia parochiali illius parochiae in qua hic et nunc degit seu domicilium aut quasidomicilium constituit. Qui eo tempore duo habet domicilia, stat penes ipsum electio. Qui tempore paschali forte a parochia sua absens est, post reditum vel melius ante discessum Communione reficiatur, aut impleti paschalis debiti schedulam parocho afferat.

5. Cum schedae Confessionis paschalis universe in Diœcesi vigeant; cum negligentiores ad implendum debitum paschale movere soleant, et cum saepe pro parocho et etiam pro patrefamilias aut hero de salute suorum subditorum sollicito unicum sint medium ad comperiendum, an hi omnes praecepto Ecclesiae satisfecerint: volumus ut earum usus ubique conservetur, et, ubi evanuit, restituatur; et ut parochi illas, si non jam anteâ in aedes parochiales allatae fuerint, elapso tempore confessioni paschali constituto, per singulas domos colligant, sicque veram pastoralem visitationem peragant: sic fideles videndo sollicitudinem sui pastoris, gravitatem hujus praecepti magis ponderabunt. — Ne autem illud medium odiosum vel suspectum evadat, praecipimus, ut parochi modicam retributionem, quae occasione harum schedarum percipi solet, non exigant, et donis ultro et liberaliter delatis contenti sint; nisi forte conventio cum parochiâ eis jus strictum constituat.

6. Praeter Communionem paschalem praeceptum de sumendâ Eucharistiâ eo tempore maxime urget, quo de vita periclitatur aeger. Quapropter injungimus omnibus parochis et vicariis : 1. Ut cognito, quod aliquis in parochiâ aegrotet, illum absque morâ invisant, et periculum, si probabile fuerit, ei prudenter significent, eumque ad confessionem et Communionem omni studio praeparent. 2. Si publicus aut scandalosus peccator infirmetur, non prius reficiatur sacrâ Communione, quam scandalum, eo quo fieri potest modo, reparatum, et occasio peccati et scandali sublata fuerit. 3. Pueris graviter decumbentibus, etsi nondum ad primam Communionem admissis, tribuendum est Viaticum, si noscunt discernere Corpus Christi a communi cibo. 4. Si aegrotus post perceptum sacrum Viaticum per aliquod tempus supervivit, et idem mortis periculum perdurat, iterato post aliquot dierum intervallum, si desiderat, et dum valebat, frequenter ad sacram Communionem accedere solebat, ex sola devotione, etiam non jejunus, si jejunium servare nequeat, sacro Viatico refici poterit. 5. Eos qui infirmantur non ad mortem sed ad longum tempus, adhortetur parochus, ut identidem, praesertim circa festa solemniora aut saepius prout ipsis expedire judicaverit, sed jejuni sacra Communione reficiantur ; nec ipse pio eorum desiderio desit. 6. Ut autem augeatur sanctissima praxis, Eucharistiam dum ad aegros defertur, comitandi, et stimuletur fidelium devotio, cuilibet id pie facienti quadraginta dies de vera indulgentia concedimus, et ut publicetur singulis vicibus (nisi jam sufficienter nota sit) dicta concessio, volumus.

7. In locis acatholicorum, ubi Ss. Sacramentum publice ad infirmos deferri nequit, servetur sequens ritus a Benedicto XIV praescriptus : In ecclesia sacerdos semper superpelliceo et stolâ albâ indutus, ardentibus duobus cereis, Ss. Sacramentum e tabernaculo extrahat, unam particulam in parva pyxide seu decenti custodia intus inaurata deponat, eamque in bursâ recondat, et praece-

dente lumine usque in sacristiam aut alium locum opportunum procedat: ibi deponit superpelliceum, contegit stolam utrique humero impositam propriis suis vestibus, et bursam cum Ss. Sacramento per funiculos collo appensam in sinu suo recondit; per viam Ss. Sacramentum occulte quidem sine lumine et apparatu exteriore ad infirmum deferet, attamen solus non procedat, sed uno saltem fideli associetur. In domo infirmi vero reassumat superpelliceum, et observet in administrandâ Communione ritum in Rituali praescriptum. Consul. Man. Rit. pag. 312-314.

8. Quod si quis non notorius quidem peccator, sed coeno passionum obvolutus, aut salutis propriae oblitus et ecclesiastici praecepti incuriosus, Communioni paschali non satisfecerit, aut in mortis periculo constitutus sacrum Viaticum negligat, nec ad satisfaciendum illis praeceptis ex confessarii mandato se disposuerit, mandamus parocho loci, ut boni pastoris exemplo ad hanc ovem prope deperditam magna cum caritate currat, eamque instanter et saepius ad debitum exsequendum hortetur. Quod si monitis non obtemperet, parochus humilibus ad Deum precibus et aliorum etiam piorum intercessionibus ejus conversionem imploret, nullique parcat labori ad salvandam ejus animam.

9. Sed etiam ultra praedictos casus Communionis paschalis et sacri Viatici, ut fideles saepe ad sacram Synaxim accedant, ardentissime optat Ecclesia. Sancta Synodus Trid. Sess. XIII, cap. 8 « hortatur et obsecrat per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli qui christiano nomine censentur, sacra mysteria corporis et sanguinis Domini eâ fidei firmitate, eâ animi devotione credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint; et is vere eis sit animae vita et perpetua sanitas mentis. » Quapropter sacerdotes excitent fideles ad Communionem frequenter suscipiendam, cum ipsa sit animae robur et consolatio.

Quoties vero id expediat, certâ omnibus normâ praescribi non potest, sed confessarii judicio remititur. — Exponant quoque et requirant dispositiones debitas ad communicandum, et inclament indignis terribile illud Pauli I Cor. 11, 27: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini;* libentius tamen ingerant quod alliciat bene dispositos.

Deneganda est sacra Communio peccatoribus publicis non emendatis, uti statuerunt omnia jura: in hoc autem opus est parocho insigni prudentiâ, et accurate servandae regulae sanae Moralis. Crimen, ob quod negatur Communio, debet esse vere notorium ac scandalosum: haec notorietas debet esse certa, non innixa solius vulgi famâ absque auctore cognito. Ast, quoniam ibi praecipitationi, praejudicio, scrupulis locus esse potest, expedit, imo mandamus, ut in casibus notorietatis nihil ipsi parochi auctoritate propria et inconsulto Episcopo faciant. Has igitur observent regulas: 1. Si in parochia degat notorius peccator, nulla dans correctionis signa, adeat illum parochus, fraterneque moneat, ut se emendet, alioquin ad sacram Synaxim non admittendus. 2. Si non obstante monitione accessurus praevideatur, certiores Nos faciat parochus, crimen et circumstantias diligenter enarrans. Ast si per tempus non licet, scandalosusque se pro Communione praesentet, expellendus est.

PRIMA PUERORUM COMMUNIO

1. Semel quotannis in qualibet parochiâ (nisi sit valde exigua) instituitur prima Communio eo anni tempore, quod parochis opportunius videtur, et quod semel constitutum postea non facile mutandum est.

2. Admissio parvulorum ad sacram synaxim in hac Dioecesi pertinet ad parochum, qui alterius parochiae infantes sine proprii parochi licentiâ admittere nequit:

facile tamen, si postuletur propter rationabilem causam, suis licentiam concedat, in alienâ parochiâ primam Communionem peragendi. Quoad collegia, orphanotrophia, aliaque educationis instituta, si proprium possident sacellanum (*aumônier*), qui ibi ex Nostra auctoritate lectiones catecheticas tradit, hic etiam parvulos sui instituti ad sacram synaxim admittere poterit.

3. Aetas certa pro prima Communione constitui non potest, sed prudentiae parochorum, juxta varia parvulorum indolis et loci adjuncta, remittitur: hinc quilibet pastor temporum et locorum circumstantias et confratrum morem consulet et sequetur.

4. Parochus animarum zelo succensus omnem curam adhibebit, et nulli parcet labori, ad pueros ad susceptionem tanti Sacramenti rite disponendos: eos frequentioribus eo anno catechesibus instruet nec ad sacram synaxim accedere permittet, nisi de sufficienti eorum scientia constet. Majori adhuc sollicitudine eorum animam ab omni maculâ mundare et virtutibus exornare studebit: ideo eos singulis saltem illius anni mensibus vel saepius in sacro tribunali excipiat aut excipi curet; et jam aliquo tempore ante constitutum pro prima Communione diem vel saltem in sacris exercitiis ad Confessionem generalem admittat, accersito confessario extraneo, ad quem pueri plena libertate accedere queant.

5. Laudabiliter agit parochus, qui pueros praecedenti anno admissos cum iis qui hoc anno prima vice pane coelesti reficiuntur, ad tanti beneficii consortium advocat.

6. Tribus ante Communionem diebus, quantum fieri poterit, parvulos sacris exercitiis eorum captui accommodatis praeparet; et ad hoc, saltem in majoribus parochiis concionatorem extraneum invitabit.

7. Singulis hujus tridui diebus Communicandi duabus saltem instructionibus ad eos fidei, contritionis, spei et caritatis sensus excitentur, quos requirit pia Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptio.

8. Volumus ut singulis hujus tridui diebus post instructionem vespertinam seu pomeridianam Benedictio Ss. Sacramenti impertiatur, tum ad parvulos eorumque parentes magis alliciendos, tum ad implorandum Dei auxilium super functionem tanti momenti.

9. Ipse Communionis dies maxima cum solemnitate peragetur, ante missam cantatam *Veni Creator*, infra missam incensatio altaris, post missam Benedictio Ss. Sacramenti; a prandio post Vesperas solemniores cum incensatione altaris, renovatio votorum Baptismi cum consecratione ad B. V. Mariam et opportunis exhortationibus, dein exposito Ss. Sacramento *Te Deum*, ac iterum Benedictio Ss. Sacramenti. Consulatur Man. Rit. pag. 304-306.

10. Omni studio enitantur, quicumque curam animarum habent, ut pueri, peracta prima Communione, frequenti Eucharistiae receptioni assuescant. Cibo enim illo spirituali, in hoc aetatis lubrico, maxime indigent, ne deficiant et labantur in via. Eos proinde ad sacram Synaxim saepius, et quantum fieri poterit, quolibet mense advocare non omittant.

Art. V. *De Pœnitentia.*

Quoniam Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitae remedium contulit, qui se post baptismum in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet poenitentiae, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur. Est autem hoc sacramentum lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus. Trid. Sess. XIV, cap. 1 et 2.

1. **Materia** hujus Sacramenti **remota** necessaria sunt peccata mortalia post baptismum commissa et nondum directe remissa; sufficiens sunt venialia, et tam haec

quam illa jam clavibus Ecclesiae subjecta. **Materia proxima** seu *quasi materia* sunt tres actus poenitentis: Contritio, Confessio et Satisfactio; ex his Contritio est essentialis ad valorem Sacramenti necessaria; Confessio formaliter integra est de praecepto divino, ita tamen ut virtualis quandoque sufficiat; Satisfactio est pars solummodo integrans.

2. **Forma** hujus Sacramenti in illis ministri verbis posita est: *Ego te absolvo,* etc.; quibus quidem de Ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant.

3. **Minister** est Episcopus et Sacerdos approbatus. In ministro nempe praeter potestatem Ordinis, quae characteri sacerdotis inhaeret et indelebilis est, requiritur Jurisdictio, quae sacerdoti datur a Superiore ecclesiastico vel per collationem beneficii cui annexa est cura animarum, vel per simplicem delegationem seu commissionem: illa est **ordinaria**, haec **delegata.** Jurisdictio praerequirit Approbationem episcopalem: Approbatio est judicium rationis Episcopi sive per examen sive per alia documenta prudenter formatum de idoneitate vel capacitate presbyteri ad excipiendas confessiones: Jurisdictio vero est actus voluntatis Episcopi, quo sacerdoti idoneo subditos assignat, quos hic in foro conscientiae dirigere, in quos potestatem ordinis valide et licite exercere possit. Jurisdictio delegata in totâ Dioecesi, sed non extra eam, valide exseri potest; jurisdictio ordinaria autem per se ad solos subditos seu parochianos limitata est, et erga proprium subditum ubique (etiam extra Dioecesim) valide exerceri potest: declaramus tamen, omnes sacerdotes quibus beneficium cum curâ animarum contulimus, eo ipso praeter jurisdictionem ordinariam in parochianos, simul jurisdictione delegata in omnes dioecesanos pollere.

Jurisdictio ad certos casus, ad certas personas, ad certa tempora et loca restringi potest, nec valet absolutio ultra

approbationis terminos. Confessarius ab Episcopo approbatus, sive secularis sive regularis, potest denuo et quidem iteratis vicibus examinari et etiam jurisdictione spoliari, etiam indictâ causâ et sine appellatione desuper interponenda. — Ad excipiendas Monialium confessiones specialis requiritur Approbatio et Jurisdictio Episcopi. — Religiosi exempti confessiones suorum confratrum, et aliorum qui intra septa monasterii commorantes de eorum censentur familia, audire valent ex sola suorum Superiorum approbatione ; non autem illorum qui in illis tantum deserviunt, multo minus aliorum secularium extra monasterium degentium. — Confessio annua, quae juxta Conc. Lateran. IV, cap. 21, proprio sacerdoti facienda erat, juxta praesentem Ecclesiae usum cuilibet sacerdoti approbato fieri potest. — Omnes sacerdotes sive approbati sive non, etiam suspensi, etc., gaudent facultate validam impertiendi absolutionem a quibuscumque casibus etiam reservatis, in absentia sacerdotis approbati, quibuscumque poenitentibus in articulo (id est in vero periculo) mortis constitutis, ne occasione reservationis casuum aliquis pereat. Trid. Sess. XIV, cap. 7.

Dum jurisdictio ex aliquo defectu occulto proveniente a jure ecclesiastico invalida est, valent tamen absolutiones concessae poenitenti defectum ignoranti. — Cessat jurisdictio delegata elapso tempore, aut revocatione confessario intimatâ, aut censurâ quam incurrit confessarius, postquam ipse est denunciatus : non vero exspirat per mortem concedentis, nisi fuerit mera commissio delegato demandata ad alicujus nominatim personae absolutionem, et confessio nondum inchoata sit.

Etsi sacerdos jurisdictione praeditus in totâ Dioecesi (imo ordinariâ pollens jurisdictione erga suum subditum etiam extra Dioecesim) confessiones audire et valide intra terminos approbationis absolvere valeat, hoc tamen in ecclesiâ alienae parochiae non faciat nisi de consensu parochi saltem rationabiliter praesumpto, ne turbetur

publicus disciplinae ecclesiasticae ordo. — Aegrotis vero, sicut dum valebant quemlibet Confessarium adire poterant, sic nunc decumbentibus quemlibet sacerdotem approbatum vicinum pro confessione expetere liberum est. Poterit ergo sacerdos ad hoc vocatus etiam extra propriam parochiam in domo privatâ confessionem infirmi excipere, nec indiget ad hoc speciali licentiâ illius parochi, sed sufficit, ut hic de peracta confessione vel per aegri familiares vel per schedulam certior fiat, ut dein ulteriori ejus curae spirituali prospicere valeat.

4. Quod qualitates Confessariorum ad licitam Sacramenti Poenitentiae administrationem, eorum officia, rectumque agendi modum, item casus reservatos eorumque absolutionem, etc., attinet, videantur Monita ad Confessarios his Constitutionibus in Appendice adjuncta.

5. Superest, ut quaedam circa externam hujus Sacramenti administrationem adjiciamus.

In privatis aedibus confessiones laicorum, praesertim feminarum, audire non licet, nisi adsit necessitas aut rationabilis causa; et tunc fiat in loco decenti ac patenti, ut reverentiae Sacramenti consulatur.

Confessiones excipi debent in confessionali, et quidem regulariter in ecclesia, non autem in sacristiâ, nisi poenitens vel ipse confessarius tali auditûs gravitate laboret, ut confessio excipi in ecclesia non possit.

Sedes confessionalis ita sit constructa, ut sacerdos in illa rite officio suo fungi valeat, non nimis angusta, utrinque inter poenitentem et confessarium crate seu cancellis munita: hae crates sint ita angustae ut visum, non vero auditum et locutionem impediant, et recte operculo muniuntur ut possint claudi. Convenienter etiam confitens aliqua parva tabula aut velo spisso a sequentibus poenitentibus disjungitur, ad securius tutandum confessionis secretum.

Quando confessiones de nocte excipiuntur, lumen confessionali apponi debet.

Sacerdos secularis ad audiendas in ecclesia fidelium confessiones superpelliceo et stolâ violaceâ indutus esse debet: ad audiendam vero in domo privatâ confessionem infirmi vel confratris superpelliceum non requiritur sed laudabiliter induitur stola.

CONFESSIO PUERORUM

Summam pastores animarum diligentiam adhibeant in excipiendis confessionibus puerorum: idcirco eos tempestive, quamprimum peccati capaces sunt (quod circa septennium evenire solet), ad sacrum tribunal vocent, tum ut praecepto annuae confessionis satisfaciant, tum ut a tenerâ aetate confessioni assuescant. Dein sedulo eorum conscientiam opportunis interrogationibus perscrutent, sed cum tantâ prudentia et discretione, ut non ex incautis quaestionibus addiscant, quod hucusque feliciter ignorabant; eis rectum se accusandi ordinem practice inculcent, eosque ad dolorem et detestationem peccati excitent et totis viribus a malo avertant: experientia enim constat, homines confitendi modum quem ab infantia didicerunt, per totam vitam retinere. Demum si materiam sufficientem aut forte necessariam afferunt et rite dispositi apparent, sacramentaliter absolvendi sunt: habent enim non secus ac adulti post sinceram confessionem jus ad absolutionem, eaque forte summopere indigent.

Hinc praecipimus, ut parochi pueros quamprimum peccati capaces et circa Sacramentum Poenitentiae sufficienter instructi sunt, a prima aetate, saltem quater in anno, statuta die infra hebdomadam Quatuor Temporum ad confessionem vocent. Eos autem qui jam propius se ad sacram Synaxim praeparant, saepius, saltem singulis mensibus, in sacro tribunali excipiant.

Ne autem infantes, si diutius in ecclesia exspectare

cogerentur, cum multi simul advocantur, longioris exspectationis pertaesi inquiete et immodeste se gerant et ita male ad confessionem disponantur, nonnisi pauci qui intra horam aut sesqui horam audiri poterunt, simul ad confessionem in ecclesiam advocentur, reliquis interea in domo scholari utiliter occupatis.

Art. VI. *De Extrema Unctione.*

Christiana Religio, quae aliorum ope Sacramentorum tam pretiosa salutis auxilia fidelibus per vitae decursum praebet, eosdem aeternitatem mox ingressuros salutaribus aeque mediis adjuvat, nempe Extrema Unctione. *Infirmatur quis in vobis,* ait Jacobus ep. cath. 5, 14: *inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei.*

Quaenam sit hujus Sacramenti materia remota et proxima, quaenam forma, quis minister, et quod subjectum, abunde tradit Theologia Dogmatica et Moralis, et indicat Rituale Romanum. Sequentia tamen specialiter notare statuimus:

1. Cum materia essentialis sit oleum infirmorum, si per errorem aliud oleum quam infirmorum ad ungendum aegrotum adhibitum fuisset, hoc erratum, quamprimum detegitur, emendari, unctio olei infirmorum fieri et forma iterari debet; eoquod in Sacramentis pars tutior sit sequenda.

2. Oleum ex praecepto Ecclesiae debet esse novum, id est, eo anno seu in ultima feria V in Coena Dni benedictum. Curet ergo parochus, ut illud quamprimum habeat, et tunc vetus comburat.

3. Ex hujus Dioecesis praxi oculi, aures, nares, os, manus et pedes inunguntur. Unctio renum juxta Sca-

vini (Gury n. 675) hodie quoad omnes omittitur: et in nostra Dioecesi non est in usu.

4. Unctiones fieri debent pollice manus dexterae, non autem virgulâ nisi in casu pestis vel alterius morbi contagiosi. *Notanda anno 1881, V.*

5. Quilibet presbyter hoc Sacramentum valide administrare potest; licite autem solus parochus, vel ab eo aut a Nobis ad hoc delegatus: hujus administratio enim est officium pastoris. In casu tamen necessitatis, absente pastore, illud administrare nullus vereatur nec recuset presbyter, imo festinet.

6. In administratione Extremae Unctionis sacerdos superpelliceo et stola violacea indutus esse debet, nisi casus necessitatis aliud suadeat. In hac tamen Dioecesi, quoties superpelliceum commode haberi nequit, per Indultum Apostolicum diei 5 Junii 1862, permittitur, ut sacerdotes absque superpelliceo induant tantum stolam super veste talari.

7. Subjectum hujus Sacramenti est omnis catholicus usum rationis adeptus adeoque peccati capax, qui tam graviter aegrotat, ut in mortis periculo constitutus videatur. Inungi ergo oleo sacro debent etiam infantes rationis compotes et peccati capaces, nec non adulti qui ex morbo jam usu rationis aut sensibus destituti sunt; item illi qui etiam sine alio morbo ita prae senio deficiunt, ut in diem videantur morituri.

8. In eadem infirmitate (seu in eodem mortis periculo) hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si post aliquantulam convalescentiam, post aliquot hebdomadas, infirmus iterum in periculum mortis incidat.

9. Omni conatu animarum pastores dissipent inane et funestum quorumdam praejudicium, quod suscepto hoc Sacramento jam necessario moriendum sit, cum econtra Extrema Unctio praeter bona spiritualia etiam sanitati corporis restaurandae prosit.

10. Omni sollicitudine vigilent, ne quis fidelium sibi

commissorum absque hac salutari medicinâ ex vita decedat : ideo saepius moneant eos, ut quamprimum aliquis gravi morbo corripitur, sine morâ advocent presbyterum, qui eum ad bene moriendum disponat. Dein certiores facti, parochianum graviter decumbere, praepropere eum invisant, et quamprimum aliquod periculum mortis apparet, sine morâ cum illi integra mens et ratio viget, suaviter et prudenter ad Extremam Unctionum recipiendam illum determinent et totis viribus praeparent. — Cum quis repentino morbo correptus jam sensuum usu privatus est, dummodo sit catholicus et non manifeste impoenitens, sacramentali absolutione conditionatâ et Extrema Unctione muniri potest ac debet.

11. De cetero inunctos aegros saepius visitet pastor, una saltem vice per diem, nisi longius a domo parochiali sint dissiti, brevioribusque orationibus piisque animi affectibus illos consoletur et roboret. Ideo saepius legat et fideliter observet titulum Ritualis Romani **De visitatione et Cura infirmorum**; morte jam imminente Indulgentiam plenariam seu **Benedictionem Apostolicam** in articulo mortis impertiat, ac decedentis animae commendationem persolvat.

Benedictio Apostolica sicut Extrema Unctio iterari potest in diverso mortis articulo : durante vero eodem mortis periculo iterari non potest, ut patet ex Constitutione Benedicti XIV et ex Decretis S. Congr. Indulgentiarum. Ordo commendationis animae vero repeti potest.

12. In certis casibus parochus etiam prudenter monere debet infirmum, ut mature domui suae disponat et testamentum, dum sui compos est, rite conficiat. Caveat autem diligentissime, ne quid aegro in favorem unius potius quam alterius suadeat; et si circa causas pias consulitur, quod utilius in Domino sibi videbitur, edicat, amotâ omnis proprii interesse et lucri cupiditate. Nec plerumque ipse excipiat ultimas aegrotantium voluntates, sed tantummodo modum conficiendi testamentum secun-

dum varias Ditionis leges indicet, et si opus sit, infirmum adjuvet, dein testes seculares debitis qualitatibus vestitos advocet.

13. Maxima demum sollicitudine parochi aliique animarum curam gerentes agonizantem seu morientem adjuvent, pro eo suffragia Sanctorum, Angelorum, bonae mortis Patronorum invocando, Dei misericordiam implorando, ejusque animam quasi usque ad tribunal supremi Judicis comitando. Ideo frequenter et serio perpendant Responsum Sacrae C. Congr. sub die 23 Martii 1878, a R^mo D. Cosandey conferentiarum argumentis anno 1881 annexum, ex Actis vol. XI, pag. 189.

En summarium illius Responsi :

I. An teneantur parochi aliique animarum curam gerentes moribundis assistere, etiamsi eos sacramentis rite munierint ?

II. An haec obligatio sit sub gravi ?

III. An eadem urgeat obligatio erga moribundos, qui pie vixerint ac bene dispositi videantur ?

IV. An parochi impediti alium sacerdotem si habere possint, sufficere teneantur ?

V. An in longa agonia usque ad extremum spiritum perstare teneantur ? etc., etc.

Sacra C. Congregatio, causâ discussâ, sub die 23 Martii 1878 respondere censuit : *Standum præscriptionibus Ritualis Romani : in reliquis consulat probatos auctores.* Consulatur Man. Rit. pag. 367-380.

Art. VII. *De Ordine.*

Sicut sub lege Mosaica Dominus ipse unam tribum in Israel suo ministerio specialiter consecrandam segregarat ; sic et in gratiae lege *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Hebr. v, 4. Quos autem eligit Christus fungi sacerdotio in nomine

suo, a populis regendis discernendi profecto erant, et hoc fit per Sacramentum Ordinis, quo clericis confertur spiritualis potestas, Eucharistiam et alia Sacramenta conficiendi ac ministrandi, ceteraque ecclesiastica munia pro jure obeundi. Quaenam sit hujus Sacramenti materia et forma, quis minister, quot ordines, docet theologia Dogmatica.

Subjectum Ordinis est solus homo masculus baptizatus, in quo ad licitam illius susceptionem requiruntur sequentes conditiones : 1. *Vocatio Dei :* si enim *nec Christus semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret* Hebr. v, 5, quomodo vilis pulvisculus tantum usurpare auderet onus ipsis angelis tremendum ? Itaque ad sacros ordines non admittemus, nisi quos scientiâ virtutumque praxi conspicuos noverimus. — 2. *Status gratiæ :* ideo praecipimus, ut ante cujusque ordinis susceptionem ordinandi vacent exercitiis spiritualibus, et saltem semel generalem confessionem instituant. — 3. *Confirmatio*, Trid. Sess. XXIII, de Reform. cap. IV. — 4. *Ætas competens :* 22 annorum pro Subdiaconatu, 23 annorum pro Diaconatu, et 25 annorum pro Presbyteratu, Trid. Sess. XXIII, de Reform. cap. XII ; pro Tonsurâ et quatuor Minoribus 14 annorum, juxta Dioecesis nostrae praxim : sufficit autem ex Ecclesiae usu, ut hi anni sint incepti. — 5. *Interstitia*, quantum per sacerdotum penuriam ac temporum angustias servari poterunt. — 6. *Ut ordinatio non fiat per saltum ;* et ut nullus clericus ad novi ordinis ordinationem accedat, nisi prioris ordinis functiones, in quantum tempus permittit, saltem semel exercuerit. Excipimus officium exorcistae, quod a nullo nostrae dioecesis clerico exerceri potest, nisi de speciali Nostra facultate. — 7. *Immunitas ab omni irregularitate et censura.* — 8. Pro Subdiaconatu *Titulus clericalis* sufficiens.

Cum non deceat eos qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum

aliquem quaestum exercere, statuit sancta synodus Trid. Sess. XXI, de Reform. cap. II, ne quis deinceps clericus secularis ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum **beneficium** ecclesiasticum sufficiens possidere; aut aliter honestae ejus sustentationi provisum esse. Hoc in Dioecesi Nostra praestatur vel per **patrimonium** a clerico aut ejus parentibus assignatum, quod a Nobis sufficiens judicetur, et deinceps sine licentia episcopi alienari aut extingui aut remitti nullatenus possit, donec ille clericus beneficium ecclesiasticum sufficiens sit adeptus; — vel per **ærarium** ecclesiasticum (*caisse de retraite*), ad quod quilibet ad Subdiaconatum promovendus certam summam (v. gr. 500 fr.) confert, et eo ipso jus strictum acquirit ad honestam statui suo congruentem sustentationem ex eo percipiendam, quando eâ indiget [1].

Obligationes ordinatorum exponit Theologia Moralis et jus canonicum.

Ad Ordines sacros promoti frequenter meditentur gravia verba Christi Domini Matth. v, 13-14 : *Vos estis sal terræ : quod si sal evanuerit, in quo salietur?... Vos estis lux mundi...* Matth. xv, 14 : *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveant cadunt.*

Ideo etiam parochi fideles identidem excitent, ut precibus, jejuniis, eleemosynis, et praesertim recte servando Quatuor Tempora, sibi dignos sacerdotes promereantur. — Imprimis autem sacerdotes ipsi de propagando Ordine sacerdotali solliciti, quando in sua parochia reperiunt adolescentes pietate et ingenio praestantes, qui ad sacrum ministerium apti videantur, eos seligant, eis prima studiorum rudimenta tradere curent, eosque pro viribus adjuvent.

Commendamus etiam parochis, ut tempore feriarum

[1] SS. D. N. Leo PP. XIII die 13 Februarii 1880 hunc modum constituendi *titulum patrimonii* approbavit et confirmavit.

moribus juniorum clericorum in parochia degentium paterne invigilent, eisque post ferias **verum** de vitâ testimonium conficiant ad seminarii Superiorem transmittendum.

Ad mentem sacri Concilii Tridentini praecipimus, ut promovendi ad Subdiaconatum et ad Presbyteratum Dominicâ (vel die festivo) ordinationem praecedente, in ecclesiâ parochiali originis vel domicilii ipsorum intra Missarum solemnia denuncientur ac fidelium precibus commendentur juxta formulam in appendice adjectam : quà denunciatione omnes admoneantur ut de promovendorum moribus et vita, Deo gloriam dantes, veritatem proferant et revelent. Testimonium factae proclamationis et prolatarum forte animadversionum mox (ante ordinationem) ad Vicarium generalem transmittatur.

Primitiae (*premières messes*) neosacerdotum, si rite instituantur, multum conferre solent ad fidem in parochia roborandam, et ad vocationem ad statum ecclesiasticum in adolescentibus piis et ingeniosis suscitandam. Hinc cupimus, ut illae primitiae quantum fieri potest, in propriâ parochiâ celebrentur magnâ cum solemnitate. Neomystae assistat Presbyter in pluviali sine stola, praeter Diaconum et Subdiaconum; cantetur *Veni Creator*, fiat Concio accommodata, et post Officium vel post Vesperas *Te Deum*, cum Benedictione Ss. Sacramenti mane et ad vesperas. Volumus autem, ut in illis evitentur omnia quae a festivitate religiosa abhorrent, luxus et pompa profana, convivia sumptuosa, nec ultra unum diem protrahantur festae epulae. Inhibemus etiam, ne neomystae extra ecclesiam in paramentis sacris, et a fortiori ne sub baldachino, incedant.

Quae spectant ad Irregularitates, et Censuras, dilucide explicantur in Theologia Morali.

Art. VIII. *De Matrimonio.*

Vix aliud est sacramentum, cujus administratio tot tantisque offendit difficultatibus ac Matrimonium, praesertim in locis, ubi lex civilis matrimonia ecclesiastica non agnoscit, et fideles inter acatholicos permixti sunt. Summâ igitur prudentiâ agendum est animarum pastoribus, ut hoc sacramentum rite conferatur. Imprimis parochianos suos frequenter, omni datâ occasione, sanctitatem matrimonii christiani, ejus effectus ac obligationes edoceant, eisque fortiter inculcent, inter christianos Sacramentum a conjugali foedere separari nunquam posse, cum Christus non connubio sanctitatem sacramenti ut quid accessorium adjecerit, sed ipsum contractum matrimonialem ad dignitatem Sacramenti elevaverit, ita ut inter fideles matrimonium dari non possit, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum, atque idcirco quaelibet alia inter christianos viri et mulieris praeter Sacramentum conjunctio, etiam civilis legis vi facta, nihil aliud sit, nisi turpis atque exitialis concubinatus [1].

Pariter eos instruant, Matrimonium quâ contractus naturalis divinitus institutus et quâ Sacramentum juxta legem Dei et Ecclesiae administrari debere, et magistratui civili jus tantum competere ea moderandi, quae bonum temporale societatis ac civium, jura civitatis, bona fortunae, etc., respiciunt.

Idcirco eos omni conatu a nuptiis aliter quam ritu catholico ineundis avertere, et ad Sacramentum digne suscipiendum disponere studebunt.

[1] Pius IX in Allocutione *Acerbissimum Vobiscum* habitâ die 27 Sept. 1852.

1. MATRIMONII NOTIO ET PROPRIETATES

Matrimonium aliud est **legitimum** seu verum, quod ab infidelibus juxta legem naturae seu inter personas habiles initur, aliud **ratum** quod a baptizatis juxta legem evangelicam et praecepta ecclesiastica contrahitur, aliud **consummatum,** quod accedente copulâ carnali extrinsecus completur. Matrimonium ut officium naturae jam a mundi exordio in paradiso institutum a Deo dicente protoparentibus nostris *Crescite et multiplicamini* [1], dein in nova lege a Christo Domino ad dignitatem Sacramenti elevatum fuit [2]. Hujus Sacramenti **materia** remota, seu circa quam contractus conjugalis versatur, sunt contrahentium corpora; proxima, mutua juris in corpora ad actum conjugalem traditio; **forma** sunt verba vel signa, nutus, quibus contrahentes mutuam hanc traditionem acceptant seu mutuum consensum in matrimonium sibi invicem exprimunt; **minister** vero juxta communem sententiam sunt ipsi contrahentes.

Matrimonii **proprietates** sunt ejus unitas et indissolubilitas: idest: matrimonium non potest subsistere nisi inter unum simul et unam [3]; et matrimonium fidelium valide contractum et consummatum non potest dissolvi quoad vinculum nisi morte alterius conjugis [4]. Quoad thorum vero et cohabitationem conjuges quandoque separari valent [5]; at haec separatio nonnisi ob gravissimas causas nec privatâ separandorum auctoritate sed a potestate ecclesiasticâ fieri potest: quare si in parochiâ inveniuntur conjugati qui pacifice non convivant, nec parochi

[1] Genes. I, 28.
[2] Trid. Sess. XXIV, can. 1.
[3] Trid. Sess. XXIV, can. 2.
[4] Matth. XIX, 6. — Trid. Sess. XXIV, can. 5 et 7.
[5] Trid. Sess. XXIV, can. 8.

monitis et adhortationibus ad cohabitationem permoveri queant, ad Nos referendi sunt.

2. MATRIMONII IMPEDIMENTA

Cum matrimonii substantia sit contractus validus inter duas personas ad contrahendum habiles, et quidem anterior omni contractu civili, omni constitutione politicâ, utpote ab ipso Creatore institutus. ideoque a Deo ejusque Ecclesiâ temperandus; cum ille contractus dein a Christo ut signum suae unionis cum Ecclesiâ ad Sacramenti dignitatem elevatus sit, et idcirco non minus ac reliqua Sacramenta ordinationi Ecclesiae omnino subjaceat; sponte jam sequitur Ecclesiam contractui matrimoniali aliquas conditiones apponere, seu impedimenta statuere posse [1], quae matrimonium impediunt (illicitum reddunt) vel dirimunt (nullum efficiunt). Inter impedimenta alia sunt juris naturalis, quae per se, jure naturae, alia contractum annullant, ut error substantialis, vis, impotentia; alia juris divini, ut ligamen; alia juris ecclesiastici, ut pleraque impedimenta consanguinitatis, affinitatis, etc. Quaenam in specie impedimenta matrimonium impediant vel dirimant, abunde tradit Theologia Moralis et Jus Canonicum [2].

In impedimentis quae sunt juris naturalis aut divini, dispensare nemo valet; quae autem sunt juris ecclesiastici, ab Ecclesia tolli posse nemo dubitat [3], cum per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvi valeat. —

[1] Trid. Sess. XXIV, can. 4.

[2] Quamvis de jure communi tempore clauso seu feriato solae nuptiarum solemnitates, non vero ipsum matrimonium, prohibeantur, in hac tamen Dioecesi jure particulari eo tempore etiam contractus matrimonialis interdicitur, nisi Episcopus dispenset.

[3] Trid. Sess. XXIV, can. 3.

Summus Pontifex ab omnibus impedimentis quae juris ecclesiastici sunt, dispensare potest.

Episcopus ex justâ causâ dispensare valet super bannis seu matrimonii proclamationibus [1]; item ab aliquibus impedimentis impedientibus, ut: ab ecclesiae vetito, nisi a Superiore ipsius fuerit interpositum; a tempore feriato pro contractu matrimoniali tantum sine solemnitatibus; a sponsalibus in dubio de sufficientia causae ad resiliendum, et salvo jure tertii; a voto simplici, exceptis votis perpetuae castitatis aut ingrediendi Religionem approbatam, Papae reservatis. — Ab impedimentis vero universalibus Episcopi ordinarie et de jure proprio dispensare nequeunt, nisi ex concessione Summi Pontificis et tanquam **Delegati Sedis Apostolicae** [2]. Episcopus dispensans sive

[1] Trid. Sess. XXIV. Decretum de Reform. Matrimonii, cap. I.

[2] Ex speciali gratiâ Sanctae Sedis, pro majori fidelium Nobis subditorum commodo, per **Facultates quinquennales**, quâ delegati Sedis Apostolicae, potestate instructi sumus dispensandi in tertio et quarto gradu consanguinitatis et affinitatis; super impedimento publicae honestatis ex sponsalibus; super impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum; super impedimento criminis, neutro tamen conjugum mortem machinante; super occulto impedimento primi aut secundi gradus affinitatis ex copulâ illicitâ, ad validandum matrimonium jam contractum; imo super dicto occulto impedimento affinitatis ex copulâ illicitâ, etiam ad matrimonium contrahendum, quando omnia jam parata sunt ad nuptias, nec matrimonium, donec ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio, absque periculo gravis scandali differri queat; item dispensandi vel restituendi conjugibus jus petendi debitum conjugale amissum sive per votum castitatis, sive per copulam carnalem cum consanguineâ suae uxoris (consanguineo sui mariti) in primo sive secundo gradu; item revalidandi dispensationem ab Apostolica Sede jam obtentam super impedimento tertii vel quarti gradus consanguinitatis vel affinitatis, sed irritam ob reticitam in libello supplici incestuosam copulam quae tamen occulta remaneat, sive etiam nullam redditam

ut Delegatus Sedis Apostolicae sive nomine proprio, illa tantum impedimenta relaxare valet, in quibus et quatenus Papa dispensare solet. — Nunquam, etsi causa adsit urgentissima, Episcopus ex praesumptâ tantum licentiâ (sine expressâ concessione) Sanctae Sedis dispensare potest in foro externo super publico impedimento dirimente ad matrimonium contrahendum [1]; sed facilius

ex incestu occulto post petitam dispensationem sive post ejus expeditionem, et ante illius exsecutionem patrato, sive agatur de matrimonio contrahendo sive revalidando jam contracto.

Insuper de speciali Apostolicae Sedis gratiâ obtinuimus facultatem dispensandi super impedimento secundi gradus mixti cum tertio aut quarto consanguinitatis seu affinitatis, dummodo gravis urgeat necessitas, in matrimoniis contrahendis sive jam contractis; item dispensandi super impedimento secundi gradus consanguinitatis et affinitatis lineae collateralis in matrimoniis contrahendis, ubi periculum est in morâ. Sed bene notandum, Nos tantum in duobus dictis casibus: **quando gravis urget necessitas**, vel **ubi periculum est in morâ**, super impedimento secundi gradus dispensare posse, et extra hos casus semper ad Sanctam Sedem recurrendum esse.

Praeterea concessa est Nobis a Sanctitate Suâ facultas dispensandi super impedimento mixtae religionis justis gravibusque accedentibus causis, et in urgentioribus casibus; dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesiâ praescriptis, et dummodo neque ante neque post matrimonium coram parocho catholico initum sponsi adeant ministrum acatholicum.

Si quod impedimentum dirimens occultum, et ex eorum numero, super quibus dispensare solet Sancta Sedes, tunc tantum detegatur, dum omnia sunt parata, nec matrimonium sine scandalo et infamiâ differri nec dispensatio obtineri queat, sacerdos poterit absque anxietate sponsos conjungere, et quantocius rem ad Nos referre, ac debitam dispensationem petere. S. Ligor. lib. VI, n. 613. — Gury II, n. 771.

[1] S. Congr. Conc. 19 Jan. 1661. — S. Poenitentiaria 18 Aug. 1872.

matrimonio jam contracto in foro interno super impedimento occulto dispensare valet ad matrimonium revalidandum, dummodo concurrant circumstantiae sequentes: 1. ut matrimonium jam fuerit contractum in facie Ecclesiae; 2. bona fide, ex ignorantiâ juris aut facti; 3. jam sit consummatum; 4. impedimentum sit occultum; 5. non possit facile adiri prima Sedes; 6. ut non possit separatio fieri sine scandalo.

Parocho (pro impedimentis ex Confessione cognitis Confessario) incumbit onus, conficiendi libellum supplicem ad impetrandam dispensationem. Illa supplicatio plerumqne ad Cancellariam episcopalem dirigitur, quae dein nomine Episcopi, si ipse valet, dispensationem expedit, vel libellum supplicem Romam, pro diversâ impedimenti specie ad Datariam vel S. Poenitentiariam, mittit et commendat. Summam igitur Parochi (Confessarii) adhibeant diligentiam ad illum libellum rite componendum, prae oculis habentes Instructionem S. Congr. de Propaganda Fide super dispensationibus matrimonialibus, in Appendice pag. 28.

Ne Rescriptum ex defectu eorum, quae necessario exprimenda sunt, vitietur, sequentia exacte serventur:

1. Si agitur de impedimento publico (quod vel suâ naturâ vel per rerum circumstantias notorium est) et pro foro externo, accurate scribantur nomen baptismale et gentilicium, aetas et domicilium Oratorum, pro quibus petitur dispensatio. In impedimento autem occulto seu ex Confessione cognito, reticitis Oratorum nominibus alia finguntur (v. gr. Cajus, Titia), sed distincte etiam et clare Inscriptio (*adresse*) seu nomina petentis dispensationem, loci ac Dioecesis exprimenda sunt, ut quo dirigendum sit responsum, Officialibus Sanctae Sedis vel Episcopi innotescat [1].

[1] Ad melius tutandum secretum confessionis potest confessarius impedimentum occultum in epistolâ occlusâ, additâ suâ

2. Impedimentum ipsum diserte et in suâ specie infimâ exponi debet, addito consanguinitatis vel affinitatis gradu juxta stylum Curiae : num sit in lineâ rectâ an collaterali : in collaterali, num sit aequalis an inaequalis : in linea inaequali indicatur gradus propinquior mixtus cum remotiore (v. gr. in tertio gradu mixto cum quarto) ; si consanguinitas multiplex occurrit, id declarandum est. Si plura obstant impedimenta, singula (etiam impedientia) explicanda sunt. Si impedimentum aliud est publicum, aliud occultum, utrumque distincte declarari debet ; et tunc si occultum sub sigillo Confessionis cognoscitur, duplex conficiendus est libellus supplex, primus pro impedimento publico tantum, alter pro occulto : in hoc tunc etiam declarari debent impedimentum publicum et supplicatio ejus dispensationis in foro externo. In affinitate indicandum, num proveniat ex copulâ licitâ per matrimonium, an illicitâ per fornicationem, etc. — In supplicatione pro foro interno super impedimento affinitatis ex copulâ illicitâ exprimenda etiam qualitas personae complicis, num fuerit mater vel filia, an soror, amita, matertera sponsae, et viceversâ. — In impedimento publicae honestatis dici debet, num proveniat ex sponsalibus validis sed morte aut mutuo consensu rescissis, an vero ex matrimonio rato : in impedimento cognationis spiritualis ; num veniat ex baptismo, an vero ex Confirmatione ; item num sit inter levantem et levatum, an vero inter levantem et levati parentes. Si Oratores essent ex diversis Dioecesibus, hoc indicandum foret.

3. Si inter Oratores copula incestuosa habita fuisset, sive sit publica sive occulta, semper in supplicatione, et quidem sub poenâ nullitatis dispensationis, exprimenda esset, et simul declarandum, utrum sub spe

inscriptione *(adresse)*, per Cancellariam episcopalem S. Poenitentiariae submittere, et ab eâ eadem viâ in epistola occlusa dispensationem impetrare.

facilius obtinendi dispensationem habita fuerit necne [1].

4. Exposito impedimento, etiam causae ad dispensandum moventes distincte et sincere proponi debent, neque allegando aliquid falsum quod esset obreptio, neque reticendo verum quod necessario exprimendum erat, quod est subreptio.

5. Qui in formâ pauperum a Datariâ dispensari cupiunt, testimonium paupertatis a suo parocho datum et ab Ordinariatu approbatum suplicationi adjungere debent. Vere pauperes et miserabiles hic intelliguntur illi qui de

[1] Decretum s. Congregationis s. Officii seu Inquisitionis 1 Augusti 1866. — S. Pœnitentiaria 20 Julii 1879 — S. Congr. Inquisitionis 1 Februarii 1882.

Hæc præscriptio recentissime revocata et abrogata fuit sequentibus litteris :

« Cum plurimi sacrorum antistites sive seorsum singuli, sive coniunctim s. Sedi retulerint, maxima ea de causa oriri incommoda cum ad matrimonialium dispensationum executionem proceditur, et hisce præsertim miseris temporibus in fidelium perniciem non raro vergere quod in eorum salutem sapienter inductum fuerat, Sanctissimus D. N. D. Leo divina providentia Papa XIII eorum postulationibus permotus, re diu ac mature perpensa, et suffragio adhærens Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium in universa christiana republica una mecum inquisitorum generalium, hasce litteras omnibus locorum ordinariis dandas iussit, quibus eis notum fieret, decretum superius relatum s. romanæ et universalis Inquisitionis et s. Pœnitentiariæ, et quidquid in eundem sensum alias declaratum, statutum aut stylo Curiæ inductum fuerit, a se revocari, abrogari nulliusque roboris imposterum fore decerni; simulque statui et declarari, dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras : contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romæ ex cancellaria S. O. die 25 Junii 1885.

R. Card. MONACO. »

suo labore et industria vivunt. Hinc in singulis casibus circumstantiae rei familiaris Oratorum bene perpendi, et prout revera sunt, indicari debent.

6. Quando petitur dispensatio ad revalidandum matrimonium jam celebratum sed ob impedimentum invalide contractum, in supplicatione indicari debet: *a*) An fuerit contractum in formâ Ecclesiae; *b*) an bona fide, ex ignorantia juris aut facti; *c*) an Oratores cognitâ jam nullitate matrimonii actum conjugalem perfecerint, et an spe obtinendae facilius dispensationis; *d*) an velint renovare mutuum consensum publice si impedimentum est publicum, vel secreto si est occultum.

7. Quando impedimentum aliquod etiam lege civili irritat matrimonium, prius illud impedimentum civile removeri aut dispensari debet, antequam Sedes Apostolica dispenset.

3. EXAMEN SPONSORUM

Maximi momenti est examen et instructio sponsorum, ut ad Sacramentum a quo familiarum et societatis totius felicitas pendet, digne suscipiendum rite praeparentur. Hinc volumus et praecipimus: 1. Ut nupturientes, antequam eorum nomina in publico albo ab officiali civili proscribantur, vel saltem eodem tempore, parochum de futuro suo matrimonio certiorem faciant, qui eis diem et horam examinis et sponsalium assignabit. Si sunt ex diversis parochiis, uterque coram parocho sui domicilii se sistet. 2. Ut praefati parochi illos serio et quidem separatim examinent, num sint in mysteriis et veritatibus fidei sufficienter instructi, num existat inter eos aliquod impedimentum sive publicum sive occultum, num forte adsit oppositio ex parte parentum, vel propter sponsalia cum aliis contracta et nondum dissoluta. 3. Quoad alienigenas peregrinos, et etiam quoad indigenas concives qui per notabile tempus extra dioecesim commorati sunt,

necessario exigendum est testimonium **Status liberi.** Illud testimonium authenticum publicâ auctoritate per Cancellarias episcopales obtineri debet. Item quoad sponsos extraneos seu alibi baptizatos postuletur Extractum baptismatis, tum ut de collato baptismo constet, tum ut prænomina eorum ac parentum pro inscriptione matrimonii accurate noscantur. 4. Ut dein eos circa sacramentum Matrimonii, ejus naturam, proprietates, effectus, obligationes (in quantum expedit) et dispositiones ad illud valide et digne suscipiendum diligenter instruant, moneantque ut antequam contrahant, sua peccata confiteantur et sacram Eucharistiam pie suscipiant, ad mentem Concilii Trid. [1]. 5. Absque praevio hoc examine nullum Matrimonium publicetur et benedicatur. 6. Tum parochus (si sponsi sunt ex diversis parochiis, ordinarie parochus sponsae, visis litteris testimonialibus parochi sponsi) eos ad ineunda sponsalia in facie Ecclesiae admittet eisque benedictionem impertiet. 7. Si sponsi dispensationem bannorum postulant, parochus eis testimonium, ut in Man. Rit. p. 407, perscribet, declarans, sponsos serio fuisse examinatos, eos esse sufficienter instructos, nullumque eis impedimentum canonicum nec oppositionem ex parte parentum vel propter sponsalia obstare, ac proin eos sponsalia in debitâ formâ iniisse. Absque hoc testimonio a parocho subscripto, et Nobis aut Decanis quibus interest immanuando, nulli dabitur bannorum dispensatio. 8. Demum parochi sponsos hortentur, ut die initi matrimonii profanos ludos, mensarum perlonga contubernia saltationumque pericula vitent, ne benedictionem Domini a se avertentes maledicta ejus sibi aggerant.

4. SPONSALIA

Quamvis necessaria ad valorem Matrimonii non sint sponsalia, usu tamen antiquissimo ut ejusdem praeparatio

[1] Trid. Sess. XXIV. Decretum de Reform. Matrimonii, cap. I.

fuêre habita, et plerisque in locis ac in nostra Dioecesi sunt praecepta.

1. Sponsalia sunt Matrimonii promissio de futuro, seria, deliberata, libera ac voluntaria, mutua, ab altero acceptata, inter personas determinatas et de jure habiles. 2. Alia sunt solemnia seu ecclesiastica in facie Ecclesiae coram parocho et testibus, alia privata seu clandestina privatim solo mutuo contrahentium consensu inita. 3. Utraque inducunt obligationem justitiae ad Matrimonium alterutrâ parte requirente contrahendum, aut saltem ad partem innocentem illaesam servandam, si altera injuste resiliat. 4. Quid autem compensationis et poenae nomine pro damno emergente et lucro cessante parti innocenti tam in externo quam in interno foro exsolvi debeat, a circumstantiis personarum, a bonorum copia, ab expensis juste factis, a diuturnitate frequentationis, a neglectu alterius partis, etc., metiendum est.

Justis de causis, in bonum dioecesanorum, ac praesertim ne nimiâ jurisjurandi frequentiâ animarum salus exponatur, statutum est: 1. ne in foro externo, remanente totâ obligatione fori interni, concedatur actio juridica feraturque judicium ecclesiasticum de sponsalibus, quae in cauponis aut sine duobus testibus ad id requisitis, aut sine actu notariali vel sine mutuâ scripturâ privatâ contrahentium et eorum subsignatione inita fuerint. 2. Sponsalia a minoribus absque consensu parentum aut tutorum contracta nullam pariter actionem juridicam habebunt. 3. Majorum vero sponsalia sine consensu parentum aut tutorum, sed cum supradictis formalitatibus contracta actionem quidem juridicam in foro externo parebunt, sed ad effectum deduci non poterunt, nisi praeviis tribus submissionibus parentibus vel tutori factis, qui si resistere pergant, sponsi Matrimonium inire poterunt, nisi motiva canonica producantur, de quibus Nostrum erit judicare. Quoad modum celebrandi sponsalia videatur Man. Rit. p. 404; — et Appendix p. 15, 16 et 17.

5. BANNORUM PROCLAMATIONES

Futurum Matrimonium a proprio parocho vel ejus delegato in ecclesia parochiali sponsorum inter missarum solemnia seu infra missam parochialem proclamari debet, et quidem ter, tribus continuis diebus Dominicis aut festivis de praecepto [1], nisi super unà aut duabus denunciationibus obtenta fuerit dispensatio, de quâ in casu monendi sunt fideles.

Si contrahentes e diversis sint parochiis, in utrâque banna proclamentur, sicut in duobus domiciliis, si duo habeant, aut praeter verum domicilium insuper quasidomicilium acquisierint.

Domicilium in aliquo loco habet ille qui in eo reverà habitat cum animo ibi perpetuo manendi: Quasidomicilium vero ille qui in eo loco reverà habitat more civium cum animo ibi manendi non quidem perpetuo, sed per notabile tempus seu per majorem anni partem. (Man. Rit. pag. 405.)

In casu mutationis domicilii : 1. Si a momento relicti veteris domicilii nondum sex menses praeterierunt, et nupturiens nondum per mensem integrum in novo domicilio habitat, solummodo in veteris domicilii parochià proclamatur. Si vero jam per integrum mensem, nondum tamen per dimidium annum ibi habitat, in utriusque domicilii parochià proclamatur. 2. Si post mutationem domicilii sex menses transierunt, solummodo in novi domicilii parochià proclamatur.

Excipiuntur sequentes :

1. Famuli et ancillae proclamantur in solâ parochiâ heri, si in eà ab uno saltem anno famulantur, modo sint majores. Si vero nondum per integrum annum in illâ

[1] Trid. Sess. XXIV. Decretum de Reform. Matrimonii, cap. I.

parochiâ commorati fuerint vel si sint minores [1], insuper in parochiâ originis [2] vel prioris quasidomicilii proclamari debent.

2. Minores proclamari debent tum in domicilio facti seu in parochiâ in quâ reverâ ab uno integro mense habitant, tum in domicilio juris seu parochiâ parentum.

3. Vagorum et Peregrinorum matrimonia non proclamentur nec conjungantur, nisi obtentâ desuper licentiâ Ordinarii. Hac acceptâ proclamantur in parochiâ in quâ hic et nunc degunt, et insuper in loco originis vel saltem in loco ubi diutius commorati sunt.

4. Viduarum et viduorum ad secundas nuptias avolare volentium banna non proclamentur, nisi certe cognito prioris mariti vel uxoris obitu.

Si quod impedimentum publicum Matrimonio obstet, proclamationes non fiant, priusquam concessa aut saltem petita fuerit dispensatio.

Modus proclamationis idem ubique servetur, in linguâ vernaculâ parochianorum [3]. Vide Man. Rit. pag. 407.

[1] Minores ad mentem juris canonici declaramus eos, qui nondum vigesimum aetatis annum expleverint.

[2] Parochia originis est illa, in quâ nati et educati fuerunt, seu in quâ eorum parentes domicilium habent, sive sint cives illius loci sive non.

[3] Il y a promesse de mariage selon les lois de notre sainte Mère l'Eglise, entre N. N. fils de N. (de feu N.) domicilié à N. *(domicilium)* d'une part; — et N. N. fille de N. (veuve de feu N.) domiciliée à N. *(domicilium)* d'autre part, tous deux de cette paroisse *(vel aliter, mutatis mutandis)*. Si quelqu'un connaît quelque empêchement à ce mariage, il est tenu en conscience de le déclarer aujourd'hui: c'est la première et dernière publication, dispense ayant été obtenue des deux autres. (*Vel si ter proclamentur, parochus dicet:* de le déclarer au plus tôt: c'est la première *vel* la seconde publication.)

Es haben sich zum heiligen Sakrament der Ehe versprochen N. N., Sohn des (seligen) N., wohnhaft in N. (domicilium), dieser Pfarrei

Factâ Matrimonii publicatione inhibitum declaramus sponsis, in eadem simul domo manere.

Si bannis proclamatis oppositio juridica aliave adversus futurum Matrimonium fiat, aut detegatur impedimentum, illud non celebret parochus, quin pars opponens ab incepto recesserit, vel judex rem definierit, aut antequam dipensatio obtenta sit.

Si infra duos menses post factas denunciationes Matrimonium non contrahatur, denunciationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur. (Rituale Rom.)

6. CELEBRATIO MATRIMONII

Quando proclamatis bannis nulla facta fuit oppositio nullumque revelatum impedimentum, alterâ die post ultimam proclamationem sponsos in matrimonium, ut in Rituali Rom., ac in Man. Rit. pag. 411 [1], conjungere

einerseits; und N. N., Tochter des N. (Wittwe des seligen N.), wohnhaft zu N. (domicilium), der Pfarrei N., andererseits. Wer ein rechtmäßiges Hinderniß gegen diese Ehe kennt, ist im Gewissen verbunden, es mir noch heute anzuzeigen: denn dies gilt, mit bischöflicher Dispens, für die erste, zweite und dritte Verkündigung. (Vel si ter proclamentur, parochus dicet: es mir bald möglichst anzuzeigen: denn dies ist die erste vel zweite Verkündigung.

Si sponsi jam obtinuerunt dispensationem super impedimento publico, haec parochianis denunciatur : v. gr. l'empêchement de consanguinité au troisième degré est déjà levé par dispense du Saint-Siège: Das Hinderniß der Blutsverwandtschaft im dritten Grade ist durch Päpstliche Dispens schon gehoben.

Si omnibus ad nuptias paratis sacerdos ex oblivione ultimam proclamationem omiserit, nec matrimonium differri, nec ad Nos recurri possit, illud celebrare permittimus non obstante hac omissione.

[1] Pro allocutione ad nubentes consuli potest Appendix pag. 18-22.

potest proprius parochus. Porro proprius parochus pro matrimonio, sicut pro sponsalibus et praevio examine, est parochus domicilii aut quasidomicilii sponsorum, sive sint illius parochiae cives sive non, dummodo reapse ibi domicilium aut quasidomicilium [1] fixerint. Si in duabus

[1] Hic notanda solutio quaestionis, quomodo contrahatur quasidomicilium in ordine ad valide ineundum matrimonium, tradita in notandis anno 1880 a Cels. D. Cosandey.

Quasidomicilium in ordine ad matrimonium acquiritur in alieno loco ab eo qui *domicilium proprie dictum* in suo retinet, si duo haec simul concurrant, *habitatio more civium* re et facto inchoata, et *animus* ibidem permanendi per tempus jure canonico constitutum, *i. e.* per majorem anni partem, et non per unum solum mensem.

Hinc indubium est : 1. Eum qui proprie dictum domicilium nullum habet, non lege quasidomicilii, sed, vagus cum sit, vagorum jure uti ; 2. qui regionem alienam ita adit, ut nullum eligat locum, in quo more civium consistat, sed illam viatoris more peragret hac illac discurrens, quasidomicilium, etiamsi per tempus lege constitutum in ea regione versetur, nullo pacto nancisci ; 3. qui habitationem re et facto non inchoaverit, etiamsi domum usque ad legitimum tempus conduxerit, nullo item jure quasidomicilium sibi vindicare ; 4. qui habitationem inchoaverit, animum autem non habuerit, tempore legitimo ibidem permanendi, quasidomicilii pariter expertem esse ; 5. contra qui simul cum habitatione re et facto more civium inchoatâ animum conjunxerit permanendi per totum tempus jure canonico constitutum, primo ipso die, quo haec duo simul conjunxit, quasidomicilii participem statim fieri, ita ut, si ante temporis implementum voluntatem e re natâ mutaverit, atque etiam ex eo loco discesserit, matrimonium tamen ante voluntatis mutationem ibidem initum validum habendum judicandum sit ; 6. qui una cum habitatione re et facto inchoatâ animum permanendi usque ad legitimum tempus initio non habuit, sed illud sensim prorogavit ita ut denique etiam ad implendum pervenerit, ex quo animum ad ultimum terminum adjecit, quasidomicilium, cum juri plene satisfecerit, protinus nactum esse, non secus ac moreestus debi-

parochiis ex aequo domicilium habeant, ad arbitrium coram alterutro parocho contrahere poterunt: item si ex diversis sunt parochiis, coram alterutrius parocho ad libitum matrimonium suum celebrare possunt.

Minores tum coram parocho proprii domicilii, tum coram parocho parentum contrahere possunt.

Vagi et Peregrini, seu qui nullibi fixas sedes, certum domicilium habent, obtentâ ab Ordinario licentiâ, a parocho loci in quo actualiter degunt, in matrimonium conjungi possunt.

Qui proprio jure sponsos conjungere potest, ille etiam alium sacerdotem ad hoc officium delegare [1] valet; delegatus autem subdelegare nequit, nisi delegatus sit ad universalitatem causarum.

tor solutione ultimae portionis ab omni obligatione liberatur, licet antea pecuniam integram solvendi intentionem non haberet.

Quibus addendum, legem quasidomicilii respectu validitatis matrimonii non vigere, ubicumque non viget lex Tridentina de clandestinitate, sive illi qui in eum locum se conferunt, veniant e loco a decreto Tridentino pariter immuni, sive etiam e loco eidem subjecto, sed *absque fraude, h. e.,* non ipsius matrimonii intuitu. De iis enim, qui intuitu matrimonii e patriâ suâ Tridentina lege affectâ in locum ab ea immunem transeunt, exceptio facta est per celebre Urbani VIII decretum *Exponi nobis,* 14 Aug. 1627, quo decreto illi adiguntur ad quasidomicilium in loco, ad quem transeunt, acquirendum, ut valide contrahere matrimonium possint.

[1] Cum delegatio ad conjungendos sponsos sit actus jurisdictionis ad valorem Matrimonii necessarius, parochi delegantes non utantur formulâ negativâ mere passivâ, sed positive, ac nominatim quantum fieri potest, sacerdotem delegatum designent. Quia tamen accidere potest, illum sacerdotem esse impeditum, cum subdelegare nequeat, prudenter parochus delegans ei pro casu impedimenti alium secundario delegatum adjunget, vel etiam simpliciter declarabit: *delego eum sacerdotem idoneum, quem sponsi ad hoc officium elegerint.*

Quando sponsi ex diversis sunt parochiis, tunc sacerdos sive proprio jure sive cum delegatione eos copulans id non faciat sine alterius vel aliorum qui matrimonium proclamare debebant, schedulâ attestante, banna fuisse proclamata, nullamque factam esse oppositionem nec ullum impedimentum nosci. Haec vero schedula solummodo alterâ die ab ultimâ proclamatione, aut saltem non nisi pervesperi diei ultimae proclamationis edatur.

Prohibemus autem sub poenis Nobis arbitrariis, ne diebus Dominicis et festivis de praecepto sponsis detur benedictio nuptialis, nec aliis diebus post prandium, sed mane sub missâ, quatenus cum debitâ reverentiâ hoc sacramentum suscipiant.

Pro benedictione nuptiarum consulatur Man. Rit. pag. 414.

7. REVALIDATIO MATRIMONII INVALIDE CONTRACTI

Quando Matrimonio contracto detegitur impedimentum dirimens, ob quod matrimonium est nullum, videat parochus (vel confessarius), an illud impedimentum sine dispensatione tolli possit, vel an dispensatione opus sit, vel an illud impedimentum sit insolubile sive in perpetuum sive ad tempus.

1. Si impedimentum sine dispensatione tolli potest, et est **publicum** utrique sponso notum, ut clandestinitas non servatâ formâ Tridentinâ (ubi ea viget), vel defectus consensus ex errore, vi, metu vel fraude, etc., statim defectus removeatur, et ponantur omnia ad valorem matrimonii requisita, id est: coram parocho et duobus testibus sponsi verum et mutuum consensum renovent et sibi invicem exprimant. Si defectus consensus est quidem **occultus** sed utrique parti notus, et matrimonium jam in facie Ecclesiae initum, etiam utriusque partis consensus privatim inter se renovandus est. Si vero defectus con-

sensus sit alteri parti ignotus, absolute loquendo sufficit, ut pars quae non, vel ficte, consensit, consensum renovet, dummodo cognoscat matrimonii nullitatem, et altera consensum suum non revocaverit. Tutius tamen est, et in praxi servandum quando sine incommodo fieri potest, ut altera pars prius de nullitate matrimonii praemoneatur, et ita ab utroque conjuge putativo consensus renovetur. Imo ad omne de consensu praestito dubium excludendum his quoque in casibus consultum est, ut conjuges consensum coram parocho et duobus testibus renovent, nisi obstet prudens scandalorum vel matrimonii in discrimen adducendi metus.

2. Si impedimentum dispensatione indiget, et est **publicum** in vulgo notum, tunc putativi conjuges non modo quoad thorum sed etiam quoad habitationem separari debent, statimque dispensatio petenda est. Eâ obtentâ consensus invalide copulatorum coram parocho suo et duobus testibus renovetur oportet. Cum impedimentum fuerit publicum, haec revalidatio matrimonii in registris parochialibus adnotari debet. Proclamationes tamen non repetantur, et copulatio peragatur privatim coram parocho et duobus fidis testibus.

3. Si impedimentum est **occultum**, petenda est dispensatio pro foro interno, quae obtenta executioni mandari debet auditâ sacramentali confessione illius qui impedimentum adduxit. Dein renovandus est consensus inter conjuges privatim absque parocho et testibus, certioratâ tamen prius alterâ parte de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut latoris delictum nunquam detegatur. Vi hujus clausulae requiritur, ut partes cum scientiâ nullitatis matrimonii de novo renovent consensum. Hunc in finem conjux impedimenti inscius certiorari debet non quidem de causâ nullitatis, sed tantum de nullitate prioris consensus [1]. Si tamen ex hac revelatione praevideantur

[1] Modi satis tuti certiorandi compartem de nullitate matri-

suspicio delicti ex eâque jurgia et scandala cum ipso divortii periculo, recurrendum est ad Ordinarium, qui si urgens est necessitas, super hac clausulâ dispensabit, vel a S. Poenitentiariâ dispensationem implorabit. Sic etiam quando ambo contrahentes nullitatem matrimonii ignorant, et ex revelatione eadem incommoda timeantur, omissâ monitione ad Ordinarium recurrendum esset.

4. Si impedimentum prius occultum et per dispensationem S. Poenitentiariae exstinctum posteâ fiat publicum, novâ indiget dispensatione pro foro externo a Datariâ seu ab Episcopo obtinendâ, ac coram parocho et testibus, ut supra, matrimonium renovari debet.

Perspicuum est, conjuges putativos quamprimum nullitatis sui matrimonii conscii sunt, a thoro separandos esse, nec debitum aut petere aut redere posse, donec eorum matrimonium revalidatum sit. Hinc si nullitas publica est, contrahentes sive conscii sive inscii sive dubii (cum ignorantia inculpabilis nullitatis publicae vix supponi et non diu durare possit) monendi sunt et obligandi, ut separationem instituant, donec matrimonium revalidatum sit. — Si vero nullitas occulta est, et contrahentes illius sunt inscii, regulariter a monitione abstineatur, donec omnia, ut revalidentur nuptiae, sint parata. Quando conscii sunt nullitatis occultae, moneantur de instituendâ separatione saltem a thoro, et sine morâ detur opera revalidationi.

5. Quando impedimentum est insolubile, v. gr. ligamen nondum diruptum vel impotentia: si nullitas publica est,

monii sunt: 1. Nullum est matrimonium nostrum; ideo renovemus consensum; 2. equidem in matrimonium nostrum non rite consensum praestiti, quare Confessarius mihi dixit, omnino necessarium esse, ut consensus inter nos renovetur; 3. modus sufficiens juxta communiorem sententiam reputatur: angor scrupulis de valore nostri matrimonii, ideoque renovemus consensum.

contrahentes sive conscii sive inscii sive dubii monendi sunt de instituendâ separatione, imploranda Ordinarii sententia quâ connubium nullum esse declaretur, habenda cura educationis prolis, etc. — Si nullitas occulta est, tunc contrahentes *a*) illius inscii in bonâ fide relinquantur, et causa cum suis circumstantiis ac praecipue dispositionibus utriusque ad Ordinarium deferatur, ut ipse modum agendi futurum indicet : *b*) conscii nullitatis separandi sunt saltem a thoro, et interim de casu instruendus Episcopus, ut pro foro externo sententiae nullitatis prospiciatur : *c*) quum una pars nullitatis insanabilis conscia est, altera de eâ moneri debet, nisi peccata alio modo evitari possint, et melius esse judicetur, a monitione abstinere.

6. Si matrimonium invalidum ob impedimentum solubile modo supra dicto revalidari nequeat : v. gr. quando conjux de nullitate connubii certioratus nolit consensum renovare, tunc ex urgentissimâ et gravissimâ causâ peti et obtineri potest a Summo Pontifice convalidatio extraordinaria in radice, seu dispensatio retroagens ad ipsam originem seu radicem et tollens impedimentum pro ipso momento contractûs, quâ fit ut matrimonium tunc valide initum sit, ac si impedimentum non exstitisset : adeoque nullus novus requiritur consensus. — Quoad cetera consule probatos auctores theol. Moralis.

8. MATRIMONIUM MIXTUM

Matrimonium mixtum hic vocatur connubium quod inter catholicum et acatholicum baptizatum contrahitur. Hoc matrimonium est quidem validum, nisi aliud impedimentum dirimens obstet, sed ab Ecclesia graviter prohibitum, ob summam perniciem quae inde religioni catholicae creatur, et ob grave salutis periculum quod in illo tum conjugi catholico tum proli imminet. Hinc omni studio conetur parochus fideles suos ab ejusmodi

illicitâ conjunctione avertere. Si quos autem deterrere non potuerit, eos inducat ad petendam dispensationem Sedis Apostolicae, simulque instruat, quibus conditionibus haec dispensatio exquiri et obtineri possit: nempe ut adsint graves causae matrimonium mixtum ineundi, et illi praemittantur necessariae et opportunae cautiones, quibus aeternae tum conjugum tum prolis saluti consultum sit. Hae cautiones sunt: futuri sponsi ambo, etiam pars acatholica, juratam seu scriptam promissionem, juxta formulam in Appendice pag. 22 traditam, emittant et subsignent, **omnes liberos utriusque sexûs ex eo matrimonio nascituros in ecclesiâ catholicâ Romanâ baptizandi et inde in fide catholicâ Romanâ educandi ac instruendi**: et **parti catholicae et liberis nullum libero suae Religionis exercitio obstaculum ponendi.**

Hae cautiones cum in ipsâ naturali ac divinâ lege fundentur, nunquam remitti seu dispensari possunt; et sine dubio gravissime peccant, qui promiscuas hasce nuptias temere contrahendo se ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt. Parochus dein hanc promissionem ab utroque sponso subscriptam diligenter in archivis parochialibus asservet, et ut tempore opportuno facile reperiri queat, in speciali registro adnotet. Tum matrimonio contracto sedulo invigilet, ut promissio de prole in Religione catholicâ educanda fideliter servetur, praesertim si pars catholica ante partem acatholicam e vivis auferatur.

Praetereà juxta tenorem dispensationis mixti matrimonii omnino prohibitum est, ne praedicti sponsi sive ante sive post Matrimonium coram parocho catholico initum haereticum fanum adeant, aut conubii causâ coram ministro acatholico se sistant. Eodem tempore pars catholica admoneatur de obligatione curandi pro viribus acatholici conjugis conversionem.

Initis sponsalibus parochus libellum supplicem ad petendam dispensationem conficiet, indicando uter (spon-

sus an sponsa?) sit acatholicus, cautiones praescriptas rite fuisse subsignatas, et quae causae pro obtinendâ dispensatione militent.

Obtenta dein dispensatione parochus, omissis proclamationibus, consensum utriusque coram testibus (juxta formam Tridentinam) excipiat, sed extra ecclesiam et absque benedictione aliove ritu ecclesiastico, eisque opportunam allocutionem faciat. Si pars catholica, matrimonio contracto, missam pro se dici postulet, non missa pro Sponso et Sponsa, sed missa diei vel alia votiva dicatur.

Si in aliquibus locis praedictus celebrandi matrimonium mixtum modus observari non potest, quin graviora exinde oriantur damna et mala, SS. D. N. Pius IX [1] prudenti Ordinariorum arbitrio, ast diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adjunctis, atque oneratâ ipsorum conscientiâ super omnium circumstantiarum veritate et gravitate, commisit, ut ipsi in hisce casibus indulgeant ritum pro matrimoniis contrahendis in Rituali praescriptum, exclusa tamen semper missae celebratione. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua, ut Ordinarii hujusmodi indulgentiam seu potius tolerantiam eorum arbitrio et conscientiae omnino commissam majori quo fieri potest silentio ac secreto servent.

Si fidelis nec a matrimonio mixto deterreri, nec ad servandas cautiones et ad petendam Apostolicam dispensationem induci possit, atque nefastum ejusmodi connubium sine dispensatione inire non vereatur, graviter delinquit, quod peccatum in hac Dioecesi Episcopo reservatur, et parochus his nuptiis nullo modo cooperari potest. Si tamen postea facti poenitens scandalum reparare et cautiones, quantum poterit, servare promittat, parochus (seu confessarius) omnes contracti matrimonii circumstantias Episcopo rite exponat, et ab eo directiones exposcat, ut scandalum reparetur, et ovis misere perdita in

[1] Instructio pro mixtis conjugiis data Romae ex Secretariâ Status die 15 Novemb. 1858. Acta, vol. VI, pag. 456.

salutis viam reducatur. (Instructio R[ssimi] ac Cels. D. Marilley anno 1863.)

9. PRÆSCRIPTUM CIVILE

Actus ille qui vulgo matrimonium civile audit, non aliud est, nisi quoddam requisitum civile ad effectus matrimonii mere civiles, seu mera caeremonia civilis, quâ catholici vel jam matrimonio religioso conjuncti vel mox conjungendi propriae et prolis utilitati consulere student; sed cuicumque effectui ecclesiastico gignendo per se impar est, tum ob defectum jurisdictionis in ferente legem, tum ob defectum intentionis in contrahentibus, quos cum catholici sint, catholice agere praesumendum est [1]. Hinc dicta caeremonia in se spectata nec uti sponsalia nec uti matrimonium clandestinum in sensu Ecclesiae considerari potest: et sicut potestas civilis nec ligare matrimonio quemquam fidelium, ita nec solvere valet; ideoque quaelibet sententia separationis conjugum legitimo matrimonio junctorum a civili judice lata coram Deo et conscientiâ nullius valoris est [2]; et conjux qui ejusmodi sententiâ fretus alteri personae se jungere praesumeret, detestabile adulterium committeret, quemadmodum vere concubinarius esset, qui solo civili actu conjunctus in matrimonio persistere non vereretur: et uterque absolutione indignus est, donec resipiscat, et

[1] Respons. S. Congr. Conc. die 13 Mart. 1879, in Appendice pag. 34.

[2] Instructio S. Poenitentiariae circa matrimonium civile die 15 Jan. 1866, Acta, vol. I, pag. 508.

Ubi tamen Decretum Trident. *Tametsi* non fuit promulgatum, adeoque matrimonia clandestina adhuc sunt valida, matrimonium coram officiali civili initum potest esse validum et Sacramentum, si nempe ambo sponsi coram magistratu civili serio conjugium legitimum inire intendunt.

praescriptionibus Ecclesiae se subjiciens per sinceram poenitentiam scandalum reparet.

Idem dicendum de conjuge, qui solà tribunalis civilis sententià se a legitimà uxore (marito) sejungeret, quin Ecclesia seu Episcopus tale divortium approbaverit.

Idcirco, ne fideles ob praescriptum civile in errorem inducti, sanctitatem et conditiones Matrimonii christiani paulatim e memorià dimittant, praecipimus ut animarum pastores singulis annis datà occasione fidelibus suis naturam et leges religiosi conjugii in memoriam redigant et inculcent.

Cum tamen ille actus, etsi ab Ecclesià semper detestatus quatenus per ipsum intendatur unio legitima et maritalis, toleretur tanquam caeremonia mere civilis, indulgemus ad vexationes poenasque vitandas, et ad prolis bonum quae alioquin a laicâ potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum, ut sponsi se sistant coram officiali civili, actum lege decretum executuri, eà tamen intentione, ut se sistendo gubernii officiali nihil aliud faciant quam ut civilem caeremoniam exsequantur, cum solà mente, legi civili acquiescendi, non autem verum matrimonium ibi contrahi posse praesumant. Imo ubi potestas civilis dictam caeremoniam absolute matrimonio religioso praemittendam exigit, ad graves difficultates praecavendas prohibemus, ne parochus aliusve quivis sacerdos prius ad celebrandum matrimonium procedat, quam sibi exhibitum fuerit scriptum testimonium, quo constet, sponsos his praescriptionibus satisfecisse. Serio tamen monendi fideles, ne praemature et periculose illum actum civilem ineant, antequam omnia pro nuptiis in facie Ecclesiae celebrandis parata, et impedimenta ecclesiastica fortasse obstantia remota ac dispensata sint; omnisque diligentia adhibenda, ut matrimonium post caeremoniam civilem quamprimum coram Ecclesià contrahatur, et interim sponsi, cum nondum sint conjuges, sejuncti consistant.

Ceterum per impositionem illius caeremoniae seu requisiti civilis nihil omnino circa matrimonium religiosum immutatur, et omnia: sponsalia, proclamationes bannorum, impedimenta canonica eorumque dispensatio, celebratio nuptiarum, etc., servantur ut prius.

Si quis salutis suae ac Religionis oblitus vel contemptor, contracto coram officiali civili connubio, matrimonium suum in facie Ecclesiae celebrare recusaret, et nihilominus juribus illius putativi conjugii frui praesumeret, ille (saltem ubi lex Tridentina viget) coram Deo et Ecclesiâ ut concubinarius habendus esset. Magnâ tamen tunc prudentiâ opus est, ut ejusmodi miserabilis peccator non totaliter ab Ecclesiâ avellatur, sed paternis adhortationibus ad meliorem frugem se recipiat.

CAPUT VIII

DE CONFRATERNITATIBUS

Confraternitates, sodalitia, sunt coetus seu societates piorum fidelium, qui cum permissu et auctoritate sui Ordinarii sub quodam titulo ad pietatis aut charitatis officia exercenda coadunati, et plerumque cuidam ecclesiae vel altari adnexi sunt. Confraternitas igitur est societas quaedam seu familia singularis in parochia subsistens vel etiam per plures parochias diffusa, quae interventu auctoritatis ecclesiasticae constituta ab eâque approbata, ad finem aliquem specialem dirigitur, nimirum ad certa vel opera pietatis erga Deum vel obsequia charitatis proximo exhibenda. Attamen etiam confraternitates illae, quae principaliter charitatis causâ coierunt, semper statis diebus ad quaedam pietatis opera convenire solent. Confraternitates sua pietatis exercitia sub titulo et pro-

tectione mysterii alicujus religiosi vel alicujus Sancti [1] exsequuntur. Indicium specificum confraternitatum est illud, ut in certâ ecclesiâ quasi suum domicilium habeant, in quâ socii statis diebus, qui confraternitati sunt solemnes, ad pietatis ôpera peragenda conveniunt. Imo nonnumquam propria etiam sacella vel altaria habent, quibus certae gratiae et indulgentiae membris obvenientes adnexae sunt. Hac praesertim notâ confraternitates proprie dictae ab illis sodalitiis seu associationibus ecclesiasticis distinguuntur, quae ad subveniendum diversis necessitatibus proximi hac nostra aetate sunt inductae. Nam hae nulli ecclesiae vel altari sunt alligatae, et propterea veri nominis confraternitates non sunt, licet earum formam imitentur.

Indoles et forma confraternitatum praesertim antiquarum haec est: charitatis exercitium ceu finem principalem sibi praefigere solent cum maximo publicae salutis commodo; in suis ecclesiis vel sacellis propria sui coetus insignia habent, peculiari etiam habitu in processionibus incedunt, aliquo peculio ex legatis, fundationibus vel collectis instructae sunt, suos directores et officiales (Praefectum, Consilium, etc.) sibi eligunt, proprium Rectorem seu Patrem spiritualem (qui in parochiis plerumque est loci parochus) habent, et juxta confraternitatis statuta aliquâ autonomiâ gaudent.

Norma erigendi confraternitatem sub poenâ nullitatis servanda ea est, quae a Clemente VIII Const. *Quaecumque* 7 Dec. 1604 in hunc modum sancitâ fuit: *a*) Ut unica tantum confraternitas ejusdem nominis et instituti in eadem ecclesiâ et urbe vel vico instituatur, neque etiam

[1] Confraternitates distinguuntur aliae in honorem mysteriorum Christi (v. gr. Confraternitas SS. Sacramenti, SS. Cordis Jesu, etc.), aliae in honorem B. Mariae V. (v. gr. Confraternitas SS. Rosarii, Scapularis, etc.), aliae in honorem Sanctorum, vel ad finem specialem, v. gr. bonae mortis, institutae.

in loco vicino, nisi ultra leucam (quinque circiter kilometra) ab ecclesiâ ejusdem confraternitatis distet [1]. *b*) Ut erigatur de consensu Ordinarii et cum litteris testimonialibus ejusdem et post examinata ab eo, revisa et approbata statuta. *c*) Ut gratiae et indulgentiae confraternitati concessae praeviâ cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur. *d*) Ut confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur privilegia et indulgentiae Archiconfraternitati impertitae. *e*) Ut in instituendis et aggregandis Confraternitatibus quoad litteras patentes servetur forma ab eodem Pontifice approbata. *f*) Ut confraternitas eleemosynas et alia charitatis subsidia excipiat juxta formam ab Ordinario praescribendam. *g*) Ut dictae eleemosynae pro arbitrio Ordinarii in utilitatem ecclesiae erogentur.

Modus regendi Confraternitatem est hic: *a*) Potest ipsa suos directores et officiales quotannis eligere: Rector autem in parochiis plerumque est loci parochus; *b*) Rector sodalitatis in libro peculiari nomina sodalium describit, in alio vero libro resolutiones ac decreta a consilio legitime congregato facta; *c*) Confratres tenentur interesse processionibus, ac in iisdem ante clerum regularem aut eo deficiente ante clerum secularem incedere; *d*) festa titularia omni possibili solemnitate celebrari convenit; *e*) Episcopo competit, confraternitates laicorum visitare et moderari tum quoad administrationem bonorum, de qua officiales ipsi rationem reddere tenentur, tum quoad cultum et ornamenta sacelli, divina officia, tum quoad ea omnia quae ad obligationes confratrum relationem habent.

Confraternitates canonice, cum consensu et sub directione Ordinarii constitutae, tanquam corporationes vel tanquam piae associationes sunt personae juridicae, cum jure acquirendi, possidendi et administrandi bona temporalia in foro civili: ideoque, ubi hac personalitate

[1] Confraternitas SS. Sacramenti vero in qualibet ecclesia parochiali erigi licet.

juridica non jam gaudent, Rector talem facultatem seu comprobationem, meliori quo potest modo, acquirere curabit.

His praemissis statuimus: 1. Ut confraternitatis Praefectus singulis annis coram parocho et consilio ad hoc legitime convocato rationes et redituum et expensarum reddat. 2. Ut Nobis in actu visitationis generalis, seu alio quoque tempore, exhibeantur cum statuta cujusvis confraternitatis, tum redituum et expensarum rationes. 3. Titulos autem et pecunias confraternitatum (sicut etiam ecclesiarum) nec non documenta erectionis, aggregationis, etc., sub duplici clavi, quarum una sit penes Rectorem et altera penes unum ex administratoribus, in loco tuto asserventur. 4. Ex aere confraternitatis provideatur sacelli seu altaris debitae manutentioni, congruis eorum ornamentis et aliis quae sacra vel officia vel exercitia ibidem peragenda attinent: hujusmodi reditus ad usus profanos numquam, ad alios vero spirituales usus nonnisi de Nostra licentia adhibeantur. 5. Majores concursus occasione confraternitatum variis in locis haberi solitos, bonisque moribus saepius nocivos magis quam proficuos, evitari cupimus, et ad hoc parochorum zelum et prudentiam requirimus, illud inter alia monentes, ne Vesperas post officium matutinum decantando, parochianis alio evagandi ansam praebeant. 6. Statuta confraternitatis semel quotannis confratribus praelegat Rector; illa tamen nullo modo sub peccato obligare edocens, confratres ad eorum observationem per emolumenta ab illis emanantia adhortetur.

Etsi confraternitates omnes in se sint valde commendabiles, praestat tamen eas non nimium in singulis parochiis seu ecclesiis multiplicare. Quod nimis commune est, facile vilescit et negligitur: et fideles si pluribus devotionibus in se optimis onerantur, paulatim omnes seponunt. Generatim praestat, antiquas confraternitates quibus fideles jam assueti sunt, resuscitare et excolere, quam

novas introducere. Praeterea curandum, ut ordo communis officiorum parochialium quam rarissime turbetur exercitiis particularibus confraternitatum. Confraternitatem omnium praestantissimam SS. Sacramenti, aut etiam Sacratissimi Cordis Jesu, in omnibus parochialibus ecclesiis libenter videremus, nec non Confraternitatem SS. Rosarii B. M. V. aut Sacri Scapularis de Monte Carmelo.

Studeant dein parochi quà Rectores indolem Confraternitatum semel erectarum, earum statuta, indulgentias, modum Confratres ac Consorores recipiendi, easque recte administrandi apprime cognoscere et promovere, ac Confratres et Consorores variis et opportunis instructionibus, hortamentis et exercitiis ad pietatem et vitae christianae observantiam excitare, ut ita Confraternitas sit vere flos seu exemplar totius parochiae et adminiculum omnium Virtutum.

PARS TERTIA

DE DISCIPLINA

CAPUT I

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM

« Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo majore in Ecclesia Dei et utilitate et ornamento haec sunt, ita etiam diligentius sint observanda, statuit sancta Synodus, ut quae alias a Summis Pontificibus et a sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus,

ac quibuscumque criminibus, necnon saecularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur; nec appellatio exsecutionem hanc, quae ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari et ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectae emendationis ipsi condignas, Deo vindice, poenas persolvant [1]. »

Ne igitur praedictas a sancta Synodo denunciatas poenas incurramus, utque ejusdem Concilii menti obsecundemus, nonnulla, quae ad internam et externam Clericorum vitam et honestatem prae ceteris conferre existimavimus, ea praesertim quae sancivit Sancta Mater Ecclesia, in memoriam revocabimus, aut decernemus aut jam statuta confirmabimus sequentibus paragraphis; illud nunc enixe commendantes, ut, quae de sanctitate vitae et pluribus sacerdotalis status virtutibus, mansuetudine, zelo, bono exemplo, etc., ipsa Constitutionum ratio non sinit persequi, saepe saepius mente recogitetis et opere compleatis.

§ 1. *De Castitate.*

1. Clerici omnes continenter et caste vivere studeant, praesertim in Sacris Ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio praecaventes, quatenus in conspectu Omnipotentis Dei puro corde et mundo corpore valeant ministrare [2], atque exemplum sint fidelium in verbo, in castitate [3]; quoniam non solum malum cavere, verum etiam omnem

[1] Conc. Trid. Sess. XXII. de Ref. cap. I.
[2] Decretales Greg. IX. lib. III. Tit. I. cap. XIII.
[3] I Timoth. IV, 12.

mali suspicionem fugere oportet, ne in cujusquam offensionem incurramus [1].

2. Quapropter sacri Canones non permittunt cum Clericis habitare mulieres, nisi forte de illis personis existant, in quibus naturale foedus nihil sinit saevi criminis suspicari [2], quales sunt: 1. Consanguineae in primo et secundo gradu, mater scilicet, avia, amita, matertera, soror et neptis (nempe fratris aut sororis filia); 2. affines in primo gradu, i. e. noverca (uxor patris) vel fratria (uxor fratris); 3. affines in secundo gradu, quando alter alteri reverentiam debet, ut uxor patrui vel avunculi [3].

3. Sacris Canonibus prohibetur quoque, ne ullus Clericus retineat feminas, de quibus suspicio potest esse, ne illas quidem, quas aliàs admitterent Canones, matrem nempe, amitam et sororem [4].

4. Quoniam autem ex una parte plures Clerici conjunctas hujusmodi mulieres, ad famulandum idoneas, non habent, et ex alterâ consuetudo obtinuit, ut extranearum toleretur cohabitatio, licet olim prohibita, id saltem severe mandamus et sub poena Nobis arbitraria Clericis quibuscumque praecipimus, ut ancillas extraneas non assumant, nisi bonae vitae et integerrimae famae necnon aetatis quadraginta aut ad minimum triginta quinque annorum.

5. Cum ancillâ in itinere non associentur, nec ordinarie eam secum ad mensam admittant, nec sinant eam administrationis parochiae consciam fieri aut ei quomodocumque se ingerere.

6. Clericos cum Apostolo monemus, ut *domesticorum curam habeant* [5], eorum moribus, instructioni et obedien-

[1] Acta Eccl. Mediol. Pars I, p. 18.
[2] Decretales, lib. III, T. II, cap. IX.
[3] Bened. XIV, Inst. 82.
[4] Decretales, lib. III, T. II, cap. I.
[5] I Timoth. v, 8.

tiae sedulo invigilent; neque patiantur eos, qui in domo parochiali degunt, cauponas frequentare, vigiliis nocturnis indulgere, aut quidquid scandalum redolet, committere.

7. Clerici, sine manifesta et rationabili causa, feminarum et etiam monialium domicilia non frequentent [1]; in aedes parochiales raro illas admittant [2]; iter cum eis non ineant, earumque familiaritatem devitent; sermo cum ipsis sit brevis et austerus.

8. Ut autem praesens decretum plenum sortiatur effectum, PP. RR. Decanis in virtute obedientiae praecipimus, ut, si quid contra illius tenorem commissum fuisse compererint, post factam a se monitionem, si inefficax evaserit, absque mora delinquentem Nobis deferant pro ratione delicti puniendum.

§ 2. *De Temperantia.*

Ad status ecclesiastici decorem, fideliumque aedificationem et salutem tantopere confert Clericorum temperantia et sobrietas, ac tot tantaque ex oppositis vitiis scaturiunt omnis generis mala, ut illis virtutibus stabiliendis, contrariis vero vitiis profligandis perpetuam cum Pontifices tum Concilia dederint operam. Quare sacris Canonibus inhaerentes, Sacerdotibus et Clericis quibuscumque sub gravi prohibemus: 1° Ne domicilium habeant, aut victum sumant in cauponis. Per cauponas autem et tabernas intelliguntur et intelligi volumus domus et loca in quibus vinum, cerevisia, liquores inebriantes, aut alia hujusmodi ibidem potanda promiscue venduntur (*hôtel*, *auberge*, *brasserie*, *café* etc.). 2° Ne cauponas

[1] Decretales, lib. III, T. I, cap. VIII. — Decretum Gratiani D. LXXXI, cap. XX.

[2] Decretum Gratiani D. XXXII, cap. XVII.

ingrediantur [1], nisi charitas, justitia, pietas, debita urbanitas vel negotiorum gestio ejusmodi ingressum cohonestaverint. 3º Ne cibum vel potum sumant in cauponis [2], nec in aediculis, viridariis, aut quibuscumque locis ad illas pertinentibus, nisi in casu necessitatis, ut in itinere, vel ratione prandii quod fit occasione funeris aut publicae festivitatis non mere profanae. Ceteris autem conviviis, etiam nuptialibus, quae in cauponis instituuntur, interesse Clericis quibuscumque prohibemus [3]. 4º Praesertim Clerici ebrietatem diligentissime fugiant [4]; nec alios ad bibendum incitent, memores illius S. Scripturae elogii: *Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum* [5]. 5º Quapropter PP. RR. Decanis in virtute obedientiae mandamus et praecipimus, ut quemvis Clericum qui inebriatus fuerit, aut cauponas, praeter casus supra exceptos, ingressus sit, post primam admonitionem a se factam recidivum, Nobis denuntient, pro ratione delicti severe arguendum aut puniendum.

§ 3. *De Oratione.*

In oratione frequens et fervida sit Clericorum vita; quibus enim potiori jure, quam Clericis, dicit Apostolus:

[1] Clerici... tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Decretales L. III, T. I, c. xv.

[2] Clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. Decretum Gratiani Dist. XLIV, c. iv.

[3] Nuptiarum conviviis Presbyteri interesse non debent. Decretum Gratiani Dist. XXXIV c. xix.

[4] Ab ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant... Nec ad bibendum quispiam incitetur... Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a superiore commonitus satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur. Decretales. L. III, T. I, c. xiv.

[5] Esther i, 8.

Sine intermissione orate [1]. Jam vero inter orationes sacerdotum proprias primum sane locum tenent illae, quas **horas canonicas** vocamus, de quibus, ut rite peragantur, sequentia saepius in memoriam sunt revocanda : 1. Ad horas canonicas tenentur sur gravi, ex praecepto ecclesiastico, Clerici quicumque in Sacris constituti, qui, si fuerint beneficiati et pacifica fruantur possessione et fructuum beneficii perceptione, tenentur adhuc ad eorumdem restitutionem, pro rata omissionis, si sit culpabilis; quod tamen de quibusvis beneficiatis non est eodem modo intelligendum. 2. Divini officii recitandi ratio quatuor continetur conditionibus, nempe : **distinctione,** id est, non solum mente et oculis legatur, sed verba articulate et absque mutilatione ex ore promantur ; **integritate,** ita ut nulla hora sine lethali culpa omitti possit ; **devotione,** seu corporis ad reverentiam habitudine, et pia cordis affectione, quae praeparationem et virtualem saltem intentionem colendi Deum supponit ; **attentione,** non solum externa [2], seu ad verba, sed etiam interna, seu ad verborum sensum, aut ad Deum ipsum, qui precum finis est. 3. Servari insuper debent in recitatione divini officii **tempus, ordo** et **qualitas. Tempus** quod attinet, potest ex consuetudine Matutinum cum Laudibus pridie sub Vesperam recitari, imo suadenda videtur hujusmodi anticipatio. Primae et Tertiae recitatio ad serotinum tempus non est absque causa rejicienda; Sexta et Nona licite matutino tempore recitantur ; Vesperarum vero, extra Quadragesimam, et Completorii recitatio post meridiem aut sub vesperam cadit, nisi impedimentum praevideatur, quo in casu, ante tempus orare est providentiae, post tempus vero negligentiae ; quod et de reliquis officii partibus est intelligendum. **Ordo** recitationis postulat, ut variae officii divini partes sibi, prout jacent, succedant ; si tamen

[1] I Thessal. v, 17.
[2] Juxta probabiliorem opinionem. S. Alphonsus N° 177.

ex rationabili causa aliqua fiat inversio, nullum inducit peccatum. Qualitas vero officii exigit, ut, quod diei est affixum, illud recitetur. Attamen officium pro officio ex errore inculpabili, aut ex aliqua rationabili causa recitans, nullum committit peccatum; advertens tamen errorem, de eo prosequi debet, de quo alias fieri debuisset, et qui per errorem recitasset hodie officium, quod cras recitandum fuisset, cras debet denuo idem officium recitare juxta probabiliorem. 4. Denique excusant a recitatione breviarii: **impotentia** physica vel moralis, **urgentia charitatis opera,** et **dispensatio,** quae de jure Romano Pontifici reservatur. Episcopus non potest dispensare, nisi ex causa sufficiente et tantum cum aliquo particulari, necnon ad breve tempus [1].

Post horas canonicas commendanda veniunt nonnulla alia pietatis exercitia, atque imprimis **oratio mentalis,** quae a Patribus **nutrix animae, virtutumque custos** dicitur, quaeque tanti est momenti, imo tantae necessitatis, ut sacerdoti hanc spiritualem refectionem negligenti vix ulla virtutis ac salutis spes affulgeat. Quare monemus Clericos omnes, illosque per Christi viscera obsecramus et adhortamur, 1. ut singulis diebus per dimidiam circiter horam, ac matutino quidem, quantum fieri poterit, tempore divina meditentur eloquia. 2. Ut Missae celebrationi diligentem praemittant praeparationem, illud Scripturae recogitantes, *maledictum* esse illum, *qui facit opus Domini fraudulenter* [2], totoque cordis affectu peracto sacrificio gratiarum actioni incumbant. 3. Ut quotidie coram sanctissimo Sacramento breve saltem tempus in supplici adorationis cultu transigant. 4. Ut examen particulare ante meridiem et examen generale vespere non omittant, atque singulis hebdomadibus, quantum fieri poterit, peccata sua diligenter confiteantur.

[1] S. Alphonsus. N° 159.
[2] Jerem. XLVIII, 10.

Verum cum nihil sacerdoti utilius, imo nihil necessarium magis sit, quam ut ab hominum tumultu et negotiorum molestia identidem avulsus, spiritualia, ut aiunt, exercitia obeat, (*in solitudine* enim et recessu a mundanis rebus *Deus loquitur ad cor* [1], et sacerdos *resuscitat gratiam, quae est in illo per impositionem manuum* [2]), ideo praecipimus et sancimus : 1. Ut singuli presbyteri ad beneficium curatum promoti, spiritualia in Nostro Seminario, vel alibi ex Nostra facultate, peragant exercitia, antequam delatum sibi beneficium adeant, aut saltem intra primum initae ejusdem possessionis annum. 2. Ut singuli presbyteri, qui nondum sexaginta annos compleverint, in praefata domo, vel alibi de Nostra facultate, spiritualia exercitia quovis saltem biennio obeant, poena arbitraria, si illa neglexerint, ad eadem adducendi. 3. Porro ut Nobis innotescat, an praesenti statuto fiat satis, P. R. Seminarii Nostri Superiorem requirimus, ut sacerdotum, qui per annum spiritualibus vacaverint exercitiis, nomina quotannis Nobis tradat. 4. Denique Clericos omnes enixe adhortamur, ut quovis mense parvam aliquam spiritualem recollectionem faciant, et singulis annis aliquot dies sacris exercitiis, saltem intra domesticos parietes instituendis, impendant.

§ 4. *De Gravitate.*

Plura esse clericali gravitati contraria, unde contemptibilis apud laicos evadit sacerdotalis dignitas, neminem vestrum latere potest. Ne igitur mirum videatur, si ex plurimis, quae in fidelium offensionem et sacerdotii dedecus vergunt, pauca tantum, nempe illa, quae clericali gravitati maxime adversantur, speciali animadver-

[1] Osee II, 14.
[2] II Timoth. I, 6.

sione ac prohibitione carpenda ac reprimenda censeamus. Quare quibuscumque Clericis omnino prohibemus. 1. Ne comoediis, aliisve profanis et inanibus spectaculis intersint [1]. Illas comoedias excipimus, quae praemiorum distributionem praecedunt et quae in privatis et bene moratis aedibus locum habent, in quibus tamen personas agere nulli Clerico liceat. 2. Ne spectaculis tragicis, quae in quibusdam parochiis interdum exhiberi audivimus, praesint, docendo nempe vel dirigendo, aut ullo modo illorum executioni inserviant; non enim decet iis sacerdotes connivere, quae moribus obesse potius constat, quam prodesse. 3. Ne choreis spectatores assistant [2]; nec musicos aut juvenes vinum occasione instituendae saltationis oblaturos in aedes parochiales admittant. 4. Ne ludis indulgeant, nisi honestae recreationes causa, raro, moderate, privatim, et nunquam in plateis et locis unicuique perviis. Ab illicitis vero lusibus omnino abstineant [3]. 5. Denique monemus omnes et obtestamur in Domino, ut quidquid in verbis ab honestate, charitate, debita superioribus reverentia alienum, quidquid in opere nugacitatem et nimiam cum laicis familiaritatem redolens summa cura devitent, seque sicut Dei ministros exhibeant, *nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum* [4].

[1] Choreas privatas aut publicas non agent, nec spectabunt... comoediis... aliisve profanis et inanibus spectaculis non intererunt; ne aures et oculi sacris officiis addicti, ludicris et impuris actionibus, sermonibusque distracti, polluantur. S. Carol. Borromaeus. Acta Eccl. Mediol. Pars I, p. 18.

[2] Ibid.

[3] Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. c. XII; — et Sess. XXII. de Ref. c. I.

[4] II Corinth. VI, 3.

§ 5. *De Vestitu clericali.*

1. « Etsi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant... Propterea omnes ecclesiasticae personae, quantumcumque exemptae, si, postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum, monitae fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini ac dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio et beneficio, ac fructibus, redditibus, et proventibus beneficiorum, necnon, si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum hujusmodi coerceri possint et debeant [1]. »

2. Hinc ad mentem sacrosancti Concilii Tridentini praecipimus, ut omnes Clerici juxta usum jam vigentem semper et ubique vestem talarem seu subtanam et cincturam, collare romanum et galerum ecclesiasticum, deferant, et nunquam ad ignominiam secularis habitus [2], nisi legitima de causa, revertantur.

3. Si quandoque a praedictis vestibus deferendis legitime impediuntur, praesertim in acatholicorum regionibus constituti, tunc collare ecclesiasticum retineant et subtanellam cum decenti petaso induant.

4. Galerus ecclesiasticus a mundana vanitate et a secularium mutatione abhorreat; ideoque improbantur, saltem extra locum domicilii et in urbibus, galeri ex paleis confecti.

5. Toleratur camale seu humerale; ast pro actibus

[1] Conc. Trid. Sess. XIV de Ref. c. vi.
[2] Pontifical. *de Clerico faciendo.*

publicis solemnioribus commendatur mantellum quod romanum vocant.

6. Superindumenta nigri sint coloris et a vanitate prorsus aliena.

7. Omnes clericali tonsura, suo ordini conveniente [1], semper insigniti appareant. Corona sacerdotis majori hostiae similis decernitur [2].

8. Comam mundano more non nutriant nec modo saecularium componant [3]. Barbam non deferant [4] sed frequenter radant.

9. Quidquid igitur, in habitu et in cultu corporis, vanitatem aut seculi novitates vel indecoram negligentiam redolet, sedulo devitent.

10. Quod decretum ut ab omnibus observetur, PP. RR. Decanis mandamus, ut contravenientes moneant et corripiant, et, si moniti se non corrigant, illos Nobis denuntient.

§ 6. *De Rebus et Negotiis secularibus statu clericali indignis.*

Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus [5]. Sane secularium negotiorum, quae vel turpe lucrum vel sacerdotalis dignitatis oblivionem denotant, gestio contemptibiles reddit Ecclesiae ministros. Quare Clericos omnes non tantum monemus, ut etiam a specie avaritiae abstineant, nec *divitiis cor apponant* [6] aut *thesaurizent*

[1] Decretales. L. III, T. I, c. xv.

[2] Bened. XIV. Inst. xcvi, n° 12.

[3] Decretales. L. III, T. I, c. v et vii.

[4] **Ibid. — Litterae Nuntii Apost. in Regno Bavariae 4 mai 1863** ad Archiepiscopum Monacens. Aichner. Jus canon : **§ 71. not. 3.**

[5] **II Timoth.** ii, 4.

[6] Ps. lxi, 11.

sibi thesauros in terra[1], quia *nihil est iniquius quam amare pecuniam*[2], teste Juda proditore : sed insuper ad mentem sacrorum Canonum eis vetitum declaramus ac expresse prohibemus : 1. Ne lucri causâ negotientur, id est, res quaspiam emant, ut illas non mutatas carius vendant. — 2. Ne animalia aut quoscumque proventus ipsimet in publicis locis venales exhibeant. — 3. Ne vecturas foeni, frumenti aliorumve ducant. — 4. Ne in locis unicuique perviis vel patentibus ligna caedant, vel aliud, quod sacerdotem dedeceat, servile opus peragant. — 5. Ne artem chirurgicam exerceant, nec medicinalem. — 6. Ne tutelam curatelamve, nisi miserabilium personarum aut sanguine sibi junctarum, suscipiant, quâ de re praemoneri et consuli volumus. — 7. Ne advocatorum aut procuratorum vices agant, nisi in orphanorum, pupillorum, viduarum aliisque piis causis, et ex Nostro consensu. — 8. Ne, absque Nostra licentia, civile tribunal quodcumque, etiam citati, adeant. — 9. Ne, sine Nostrâ veniâ, fidejubeant[3], seu creditori pro debitore in ejus defectu se soluturos promittant. — 10. Ne patrimonium, si et quâmdiu pro titulo clericali inservit, alienent, nec ejusdem fructus oppignorent[4]. — 11. Tandem Clericos omnes hortamur, ut caveant, ne se debitis gravent, nec post obitum parentum bona patrimonialia indivisa relinquant, nec testamentum suum tempestive condere negligant. — 12. Denique monemus omnes et obtestamur in Domino, ut a frequentiori saltem venatione et piscatione, a mercatibus et nundinis frequentandis, atque ut paucis plura alia complectamur, ab omnibus iis quae sacerdotalem dignitatem vel leviter

[1] Matth. VI, 19.
[2] Ecclesiastic. X, 10.
[3] Clericus fidejussionibus inserviens abjiciatur. Decretales, L. III, T. XXII, c. I.
[4] S. Congr. Conc. Trid. 15 Mart. 1642, apud Giraldi Jus canonic. Pars I, sect. 465.

videntur laedere, summa curâ abstineant. — 13. Ideo, cum usus, herbae Nicotinae fumum ducendi (*fumer*) sacerdotem dedeceat, notabiles ratione exiguitatis beneficiorum impensas creet, valetudini non raro obsit, et fidelibus praesertim confitentibus molestus esse soleat; omnes ex intimo erga vos affectu, ad decorem status ecclesiastici securius tutandum, obsecramus in Domino, ut qui nondum assueti sunt, ab usu ducendi fumum tabaci abstineant: qui vero eum usum jam contraxerunt, nec sine incommodo valetudinis statim abrumpere possent, illum quantum poterunt coërceant, nunquam in publico fumum ducant, aliosque Clericos ad fumandum invitare caveant.

Ut autem praesentis Decreti obtineatur effectus, nec supradicti infringantur articuli, PP. RR. Decanis praecipimus, ut illorum transgressores, si qui sint, una vel altera vice a seipsis monitos et recidivos, Nobis deferant, adversus illos pro casus gravitate processuris.

§ 7. *De Mensa et Supellectili Clericorum.*

Tandem cum Tridentinis Patribus [1] non tantum beneficiatos sed Clericos omnes adhortamur, in primis ita mores suos componere, ut ceteri ab eis frugalitatis, modestiae, continentiae, ac, quae nos tantopere commendat Deo, sanctae humilitatis exempla petere possint. Quapropter non solum jubemus ut Clerici modesta supellectili et mensa ac frugali victu contenti sint, memores paupertatis Christi Domini Nostri; verum etiam in reliquo vitae genere, ac tota eorum domo caveant ne quid appareat, quod a sancto hoc clericali instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum ac vanitatum contemptum prae se ferat.

[1] Sess. XXV, de Ref. cap. I.

§ 8. *De Residentia.*

Cum pastoralia munia implere nequeant parochi illi, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed oves suas mercenariorum more deserunt, Concili Tridentini [1] statutis et menti inhaerentes sequentia decernimus: 1. Parochis aliisque beneficiatis curam animarum habentibus sub poenis a jure statutis mandamus, ut suas parochias ipsimet administrent ac in iisdem personaliter resideant. 2. Idipsum praecipimus Sacellanis, aliisque beneficiatis quorum beneficium residentiam postulat. 3. Parochis aliisque beneficiatis curam animarum aut beneficium residentiam postulans habentibus districte prohibemus, ne ultra sex dies a suis parochiis ex quacumque ratione absint, nisi de Nostrâ facultate nunquam ultra bimestre praeter gravis necessitatis casum concedendâ. 4. Quotiescumque parochos aliosve beneficiatos de quibus supra, causâ prius per Nos cognitâ, ultra sex dies [2] abesse contigerit, vicarium idoneum a Nobis approbatum cum debitae mercedis assignatione relinquant. 5. Parochis mandamus, ut in presbyterio, non vero apud parentes aliosve, suum habeant domicilium. 6. Parochos et alios curam animarum habentes serio monemus, maxime si nullus praeter ipsos alius sacerdos in parochiâ commoretur, ne extra suas parochias, nisi ex legitima ratione, raro admodum, et viciniore parocho aliove idoneo sacerdote praemonito, pernoctent. 7. Capitula vero ecclesiastica Nobis subjecta et alia Clericorum collegia suas de residentia constitutiones sequantur, aut si constitutionibus hac super re careant, praesenti hac lege teneantur. 8. Vicarii parochorum etsi Tridentinis decretis de residentia non ligentur, eorum tamen munus et reve-

[1] Sess. XXIII de Reform., c. I.
[2] S. Congr. Conc. 7 Octobr. 1604.

rentia erga suum superiorem exigunt, ut non discedant e parochia nisi praemonito parocho. 9. Praecipimus, nisi obstet fundatio beneficii, ut Vicarii cum Parocho convivant.

§ 9. *De Studio.*

Quoniam nostrorum temporum ratio quam maxime expostulat, ut Ecclesiae ministri non mediocri scientiâ instruantur, quâ commissam sibi plebem erudire, incredulos redarguere, adversariorum fidei nostrae sophismata elidere valeant, prout expressis verbis commendant et sacrae Litterae et sancti Patres, praesertim Basilius, Augustinus et Bernardus, necnon et Summi Pontifices, ac cujusvis aetatis Ecclesiae Concilia; hinc duo prae ceteris monenda censemus : unum relate ad juniorum Clericorum institutionem, alterum ad studia Sacerdotum, quibus divini verbi praedicatio animarumque cura commissa est.

I. Cum numerus eorum, qui nunc in spem Ecclesiae nutriuntur, vix sufficiens ad obeunda sacra ministeria assurgat, *messisque* sit *quidem multa, operarii autem pauci* [1], provideant imprimis parochi ceterique adjutores nostri, ut ex pueris quos morum honestate, egregia indole ingeniique dotibus aptos idoneosqne noverint, quam optimos seligant, quibus latinae linguae elementa per se aut per alios clericos tradant (sicut jam supra Parte II, pag. 52 commendatum fuit), meminerintque, eos quos ab Ecclesia in ministros assumendos praevident, non eodem modo instituendos nec iisdem disciplinis imbuendos esse ac seculares. Idcirco probatos illos adolescentes dein ad eas scholas dirigant, in quibus humaniores litterae pariter cum pietate florent, ita ut nedum clericali institutioni noceant litterarum studia, quam plurimum e contra ipsi faveant, quales et apud nos et in vicinis dioecesibus

[1] Luc., x, 2.

existere compertum est. Quem in finem optamus, ut in praecipuis nostris civitatibus ac in vicis populosioribus scholae latinae seu clericales jam constitutae promoveantur, vel ubi desunt, erigantur, in quibus selecti illi pueri in latinis litteris ceterisque disciplinis clerico magis necessariis instituantur, et simul piis exercitiis ad statum ecclesiasticum praeparentur.

Absolutis dein humanioribus studiis volumus ut in nostro Collegio Philosophicae praelectiones quas latino idiomate fieri decet, ea ratione ac methodo tradantur, quam nuper in sua Encyclica *Aeterni Patris* die 4 Augusti 1879 summopere commendavit Summus Pontifex : itaque Doctoris angelici vestigiis sedulo inhaereant nec ab ejus doctrina sive in Logica sive in Metaphysicâ deflectant. Philosophiae studio, Matheseos et naturalium disciplinarum notitia quaedam adjungatur, ita ut probatio publica aut documentum authenticum felici successu candidatos ad sacrae Theologiae limina deducat.

Totam Theologiae materiam ita distribui volumus, ut per quatuor annos Dogmaticae studium continuetur, et simul Morali, Juri canonico, Exegesi et Historiae ecclesiasticae per binos saltem annos opera detur. Insuper Eloquentiae sacrae principia tradantur, et praxis catechizandi concionandique frequentibus exercitationibus addiscatur, neque omittantur quae ad sacram liturgiam pertinent. Cum praeterea pro temporum ratione cuilibet sacerdoti perutile, imo necessarium sit, rudimenta juris civilis necnon paedagogiae callere, haec Seminarii alumnis tradi optamus. Inhibemus vero, ne RR. Theologiae professores in suis praelectionibus opiniones novas inauditasque teneant neque libris non prius a Nobis approbatis utantur ; mandamusque ut, munus docendi suscipientes, coram Nobis aut Vicario nostro generali solemnem Pii IV fidei professionem [1] emittant.

[1] In Appendice, pag. 1.

Ut praedicta catechizandi concionandique praxis certius addiscatur, praecipimus, ut sacrae Theologiae alumni per totum Seminarii decursum saepe unum alterumve Catechismi dioecesani caput aut ejusdem partem in conciunculam elaborent, ac insuper formâ catecheticâ per interrogationes scilicet et responsiones scripto explanent.

Illiteratos Ecclesia ab Ordinibus semper arcuit, et Concilium Tridentinum [1] statuit, ut illi tantum ad Presbyteratûs Ordinem assumantur, qui ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur. Insuper sacris Canonibus cautum est, ne Clerici ad quaevis ecclesiastica beneficia instituantur [2], nec confessiones audire possint [3], nisi prius a locorum Ordinariis examinati et idonei reperti ac approbati fuerint.

II. Ast non sufficit, ut Clerici idoneis disciplinis rite ad Ordines praeparentur, ac serio praemisso examine ad beneficia vel ad munus confessarii apti reperiantur; sed competens scientia etiam postea assiduo studio conservari, perfici et augeri necesse est. Hinc sacerdotes omnes monemus atque obtestamur, ut: 1. Imprimis scientiam Sanctorum, id est, artem et praxim meditandi indefesso animo colant. 2. Sacram Scripturam, maxime Novum Testamentum, assidue legant, probatum interpretem ad manum habeant, nec ulla dies sine unius alteriusve capitis lectione praetereat. 3. Quotannis Missalis, Breviarii et Ritualis Romani rubricas (vel Manuale Rituum in quo illae exponuntur) ac etiam praesentes Constitutiones relegant. 4. Theologiam Dogmaticam et Moralem potissimum, nec non jus canonicum et historiam ecclesiasticam

[1] Sess. XXIII, de Reform. cap. XIV.
[2] Trident. Sess. VII. de Reform. cap. XIII.
[3] Trident. Sess. XXIII, de Reform. cap. XV.

diligenti assiduoque labore et conatu repetant. 5. Sedulo devitent profanas vocum novitates [1], et speciatim ab hodierno liberalismo, id est, a rationalismo et naturalismo, quorum unus mentes a fide distrahit, alter vero mores resque publicas, abnegatis christianae religionis institutionibus pervertit et deprimit, ad mentem SS. D. N. Leonis XIII [2] summopere caveant. 6. Iis praesertim fidei veritatibus, quas a religionis adversariis prae ceteris impugnari norunt, illis nominatim quae ecclesiasticae potestatis auctoritatem ac jura stabiliunt, operam navent.

Ideo etiam, cum monente Spiritu Sancto *labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus* [3]*;* nec non *quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* [4]*;* Ecclesia Episcopis facultatem dedit, imo obligationem imposuit, Sacerdotes de defectu competentis scientiae suspectos ad examen vocandi, et si eos sufficienti ad officium rite obeundum peritià destitutos deprehenderint, vel coadjutore etiam invitos augendi, vel ab exercitio Ordinis aut ab Officio suspendendi vel a beneficio removendi.

Ad conservandam igitur scientiam competentem omnibus sacerdotibus necessariam, imo et ad eam augendam, statuimus ac decrevimus, ut omnes neopresbyteri per sexennium quotannis examen subire teneantur modo ac empore a Nobis designando super materiis theologicis, quae anno praecedente fuerint indicatae [5].

Cum promovendae tum doctrinae tum uniformitati maxime inserviant collationes seu **Conferentiae** ecclesias-

[1] I. Timoth. VI, 20.

[2] Syllabus prop. 77-80. — Legatur Encyclica *Immortale Dei*, de 1 Novembris 1885, a verbis *Sed perniciosa ac deploranda* usque ad finem.

[3] Malachiae II, 7.

[4] Osee IV, 6.

[5] Const. synodales, Pars I, cap. 1, pag. 10.

ticae, sequentia statuimus: 1. Quinque quotannis in singulis decanatibus habeantur conferentiae, quarum dies mutuo Decani et aliorum Sacerdotum, illius praesertim, qui confratres recipit, consensu determinabuntur. 2. Conferentiae intersit quilibet ex decanatu et in decanatu degens sacerdos, nisi legitime fuerit impeditus, cujus impedimenti certiorem faciet Decanum. 3. Si quis ex negligentiâ, etsi monitus, bis in anno abfuerit, Nobis a R. Decano indicetur, pro rei gravitate vel reprehendendus vel puniendus. 4. Intersint autem omnes, quantum fieri poterit, officio pro defunctis sacerdotibus celebrando, cum **Libera me.** Nullâ tamen celebrans obligatione ad specialem applicationem tenetur, nisi forte confratres decanatus ita inter se convenerint. 5. Eligatur a R. Decano Conferentiae secretarius, qui decisiones decanatus, saltem si majoris sint momenti, in decanalem librum referat, ac in sequenti conferentia praelegat. 6. Solutiones quaestionum aut argumentorum, quae a Nobis quotannis proponuntur, a secretario in synopsim in libro decanali redactae, per respectivum Decanum ad Nostram Curiam transmittantur. 7. In qualibet conferentiâ praelegantur ex praesentibus Constitutionibus nonnulla, ad libitum R. Decani; huic praelectioni addi potest lectio spiritualis de praecipuis clericorum officiis et virtutibus. 8. Illa vero in conferentiis discutienda prae ceteris seligantur, quae tollendis aut saltem minuendis communioribus abusibus, fovendae cum in sacramentorum ac praecipue Poenitentiae administratione, tum in exteriori parochiarum regimine et Cultus divini celebratione uniformitati, fulciendisque adversus pullulantes errores animis, uberius inservire visa fuerint. 9. Ne autem onerosae ac proin invisae evadant conferentiae, sit prandium, ad quod laicos invitare non convenit, omnino frugale.

Verum cum fidei et sanae doctrinae depositum Nostrae imprimis curae sit concreditum, nonnulla pro hujus

paragraphi coronide statuenda decrevimus ac decernimus: 1. Nullus Clericus quidquam, saltem alicujus momenti, typis edat, nisi Nostro prius examini fuerit subjectum, ac si de rebus sacris aut ecclesiasticis agatur, Nostrâ approbatione aut saltem Nostro permissu munitum; aut nisi generalem studiorum suorum fructus publicandi licentiam a Nobis obtinuerit: quod si quis secus fecerit, noverit se poenâ Nobis arbitrariâ fore plectendum. 2. Ut praesens Decretum rite exsecutioni mandari possit, volumus ut ii, quibus licentiam typis quidpiam evulgandi concesserimus, eam in peculiari Cancellariae nostrae registro inscribi curent, quatenus in casu dubii coram Officialitate comprobari valeat: quod pariter de omnibus licentiis generalibus a Nobis concessis servari optamus. 3. Identidem moneantur fideles, ut a libris precationum aut formulis deprecatoriis approbatione ecclesiastica destitutis caveant. 4. Frequenter, saltem in civitatibus et potioribus pagis, adversus pravos libros verba faciant concionatores et parochi, edoceantque fideles, excommunicationem incurrere: *a*) omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes; *b*) illos, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt. *Const. Apostolicae Sedis*, in Appendice pag. 41.

CAPUT II

DE BENEFICIIS

§ 1. *Observanda ante adeundum beneficium.*

Beneficii nomine venit jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae, propter officium aliquod spirituale

auctoritate ecclesiastica constitutum, clerico concedendum et proprio nomine exercendum. Haec autem in clerico beneficium postulante requiruntur: 1° **Vera seriaque intentio** non emolumenti temporalis ac solius sibi victus procurandi, sed Deo inserviendi et officium spirituale propter quod datur beneficium adimplendi, illudque retinendi, nec dimittendi, nisi legitima de causa; itemque suscipiendi ordinem ad obeunda debita munia requisitum. 2° **Aetas** eaque diversa pro diversitate beneficiorum. Ad beneficia simplicia requiritur annus decimus quartus saltem inchoatus [1], nisi 1° in fundatione beneficii aliter sit statutum quia fundationibus derogare non intendit Synodus Tridentina; vel nisi 2° beneficium exigat Ordinem sacrum, ad quem suscipiendum major requiritur aetas. Confer superius P. II. pag. 51. Pro beneficiis curatis requiritur annus vigesimus quintus inchoatus; pro dignitatibus, personatibus et muneribus ecclesiasticis in capitulis quibuscumque, requiritur annus vigesimus secundus inchoatus; pro poenitentiario in cathedrali annus quadragesimus inchoatus; pro episcopatu annus trigesimus primus etiam inchoatus. Super defectu legitimae aetatis Romanus Pontifex solus dispensare valet. 3° **Ordo** etiam varius pro varietate beneficiorum. Ad obtinenda beneficia simplicia requiritur et sufficit tonsura, nisi fundatio superiorem ordinis gradum exigat. Verum ad beneficia, quae adnexam habent curam animarum, presbyteratus ordo requiritur, saltem intra annum suscipiendus. 4° **Personae conditio**, quae legitimos et circa fidem immaculatos natales exigit. Itaque non solum infideles, catechumeni, neophyti, sed et haeretici et eorum fautores filiive usque ad secundam generationem sunt ipso jure inhabiles ad beneficia ecclesiastica, nisi pro haereticorum filiis, dum alias probi et idonei sunt, aliud consuetudo obtineat.

[1] Trident. Sess. XXIII, de Reform. c. 6.

Illegitimos quod attinet, potest Episcopus cum illis dispensare pro beneficiis simplicibus, necnon pro suscipiendis ordinibus minoribus tantum, non autem pro ordinibus majoribus, neque pro beneficiis duplicibus. Huc spectat etiam indigenatus seu origo ex dioecesi, ob regulam 17 Cancellariae Apost. : « Ceteris paribus oriundus non oriundo, dioecesanus non dioecesano praeferatur, » et qualitas a fundatore imposita, si quae sit expressa vel legitimâ consuetudine introducta. 5° **Probitas morum,** quae postulat, ut promovendus sit immunis ab omni irregularitate et censurâ, ac insuper a crimine depositionis poena digno, vel infamiam, irregularitatem aut censuram inducente, ad forum judiciale jam deducto, vel ita publico et non emendato, ut offensio aliorum incurratur. 6° **Litterarum scientia,** quae talis esse debet, ut praeficiendus muneri suo satisfacere possit, quocirca addimus cum Innocentio III : « Etsi desideranda sit eminens scientia in pastore, tamen competens est toleranda, dummodo imperfectum scientiae suppleat perfectio charitatis » Ceterum major scientia morum probitati juncta digniorem format clericum, cui beneficium concedi jura imperant. 7° Tandem ad quodcumque beneficium coelibatus stricte requiritur. 8° Praeterea clericos omnes serio monemus, ut in adipiscendo beneficio ab omni simoniae seu mentalis, seu realis labe aut fundata suspicione, proindeque ab omni munere ab obsequio, a manu et a lingua summopere caveant, memores poenarum, quae per simoniam saltem realem vel confidentialem incurruntur, nempe excommunicatio Papae reservata [1], nullitas hujusmodi nominationis et institutionis, inhabilitas perpetua non solum ad illud, sed ad quodvis aliud beneficium, privatio aliorum beneficiorum legitime acquisitorum, et perpetua ab altaris ministerio depositio. 9° Denique omnibus et

[1] Const. Apost. Sedis II, n° 8, 9. in Appendice pag. 47.

singulis beneficium petentibus prohibitum declaramus, sub poena perpetuae exclusionis et inhabilitatis ad illud beneficium aliisque a jure statutis, ne sive ante suam ad beneficium promotionem, sive post eam, in novas sibi aut beneficio imponendas conditiones onerave consentiant, nisi prius ab Auctoritate ecclesiastica fuerint approbata.

§ 2. *Observanda in adipiscendo beneficio.*

Sancta Synodus Tridentina [1] « monet omnes et singulos, « qui ad promotionem praeficiendorum quodcumque jus « habent, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam « et populorum salutem utilius posse facere, quam si « bonos pastores et ecclesiae gubernandae idoneos pro- « moveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes « mortaliter peccare, nisi quos digniores et ecclesiae magis « utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus vel humano « affectu aut ambientium suggestionibus, sed eorum exi- « gentibus meritis, praefici diligenter curaverint ».

Illa dignioritas praeficiendorum non absolute, sed relative ad ecclesiam vacantem accipi debet: unde, ceteris paribus, dignior seu ecclesiae utilior censetur : 1. senior seu aetate maturior; 2. qui ecclesiam de suis bonis fundavit; 3. sacerdos in concursu cum non sacerdote; 4. indigena prae extraneo; 5. graduatus in aliqua scientia; 6. majori sanctitate aut prudentiâ praeditus prae illo qui sola scientia praeeminet, etc. S. Alphons. IV, n. 92.

Hunc in finem Tridentina Synodus statuit, ut beneficia parochialia per **Concursum** juxta formam praescriptam [2] conferantur, et provisiones omnes seu institutiones praeter supra dictam formam factae subreptitiae esse censeantur.

Quamprimum igitur Episcopus vacationis ecclesiae

[1] Trident. Sess. XXIV, de Reform. c. 1.

[2] Trident. Sess. XXIV, de Reform. c. 18. — S. Pius V Const. *In conferendis beneficiis.* § 3.

parochialis notitiam habuerit, statim idoneum in illa ecclesia vicarium cum congrua fructuum portionis assignatione constituet, qui onera illius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur. Dein Episcopus edicto publico aut alio opportuniori modo vacationem illius ecclesiae annunciabit, et concursum intra tempus statutum indicabit [1].

Concursu absoluto, ne parochiales ecclesiae diu, cum maximo animarum damno, in suspenso maneant, sancta Mater Ecclesia statuit:

a) Ut collator ordinarius beneficium parochiale intra sex menses conferat; secus beneficium pro hac vice Romano Pontifici reservatur [2].

b) Ut patronus ecclesiasticus et mixtus intra sex menses, et patronus laicalis intra quatuor menses praesentare teneatur; secus praesentatio et institutio pro hac vice Romano Pontifici pariter reservatur [3].

c) Ut Episcopus intra duos menses instituat legitime praesentatum; secus patroni possunt habere recursum ad Metropolitam vel ad Sedem Apostolicam [4].

d) Semestre, Quadrimestre vel Bimestre non ab ipsa die vacationis, sed a certa notitia vacationis aut praesentationis computatur; nec currit legitime impedito [5].

e) Districte inhibitum est, ne quis de beneficiis sub litteris *a* et *b* sic reservatis disponere praesumat [6].

f) Attamen quoad has parochias ita S. Sedi reservatas Episcopus potest et debet concursum indicere, et examen more solito instituere; dein acta concursus ultro Datariae submittat. Licebit tamen Ordinariis privatim Datariae designare personam, quam regendae ecclesiae magis idoneam censent [7].

[1] Ipsa forma Concursus et examinis ratio alibi exponetur.

[2], [3], [4] et [6]. S. Pius V. Const. *In conferendis*. § 4 et 6.

[5] Decretales l. III, t. VIII, c. 5.

[7] Bened. XIV. *Cum illud*. § 20, 21.

§ 3. *Praestanda post adeptionem beneficii.*

1. Omnes de curato beneficio in perpetuum provisi sub gravi tenentur, a die adeptae possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus ipsius Episcopi vel ejus delegati, personaliter fidei professionem juxta formam a Pio IV praescriptam emittere. Alioquin, elapso praedicto duorum mensium spatio, fructus deinceps non faciunt suos et ad eorum restitutionem tenentur [1].

2. Omnes provisi tam de beneficio curato quam de alio quocumque, intra idem tempus emittant in manibus Episcopi aut Vicarii Generalis investiendorum juramentum [2], quod tamen ad normam sacrorum canonum interpretari oportet.

3. Intra bimestre, a nominatione seu praesentatione computandum, a Nobis institutionem canonicam de necessitate requisitam postulent, ipsiusque titulum scriptum a Cancellaria Nostra impetrent.

4. Beneficiatus etiam canonice institutus non potest propria auctoritate possessionem beneficii apprehendere; requiritur insuper immissio in possessionem per Episcopum vel ejus delegatum, quae immissio dicitur institutio quoad possessionem, seu investitura, vel simpliciter installatio.

5. Cum autem beneficium constet duobus distinctis sed connexis, praebendâ scilicet, quae est res corporalis, et officio, quod est res spiritualis; cumque officium sit res principalis, praebenda vero res accessoria; ideo beneficii possessio apprehenditur, capiendo possessionem officii, vereque beneficium possidetur ab eo, qui spirituale illius officium tenet et exercet, quamquam ipsius bonis exspoliatus fuerit.

[1] Conc. Trid. Sess. XXIV, de Reform. c. 12.—Const. Synod. P. I. p. 5, et Append. p. 1.

[2] Const. Synod. Append. p. 13.

6. Installatio seu investitura duplici modo fieri potest, scilicet *a*) per verba tantummodo, et tunc dicitur installatio verbalis; vel *b*) per realem seu materialem introductionem in locum et jura beneficii, et haec vulgo installatio realis seu corporalis dicitur.

7. Per installationem sive verbalem, sive realem beneficiatus fit possessor beneficii et ex hoc momento fructus facere suos incipit.

8. De stylo Cancellariae Nostrae Lausannensis installatio verbalis simul cum institutione canonica peragitur et in eodem instrumento consignatur.

9. Volumus ergo ut jus percipiendi fructus beneficii omnibus beneficiatis currat a die installationis verbalis et, si ista praetermissa fuisset, a die installationis realis.

10. Installatione verbali rite factâ, necessaria quidem minime videtur installatio realis; attamen ad majorem neobeneficiato aestimationem et auctoritatem conciliandam, utque fidelibus magis pateat, illum intrare per portam et non aliunde, omnibus et singulis de quocumque beneficio provisis praecipimus ut, accepto institutionis titulo, sine mora a respectivo Decano vel ab alio presbytero per ipsum deputando, si beneficium sit parochiale, si vero sit alterius speciei, a parocho loci, realem installationem postulent et obtineant.

11. Installatio realis ad beneficium parochiale fiat in ecclesia, praesentibus parochianis, per promulgationem (linguâ vulgari) documenti institutionis canonicae, emissionem professionis fidei, praestationem juramenti investiendorum, necnon explicationem mutuorum officiorum tum pastoris tum parochianorum.

12. Realis installatio ad cetera beneficia fiat in sacello loci, coram loci deputatis saltem: legatur vernacula lingua institutionis titulus; dein praestetur juramentum investiendorum, mutuaque officia et jura summarie notificentur.

§ 4. *De temporali beneficii cura.*

Lex generalis est, beneficiatum non jure proprietatis, quae ad Ecclesiam pertinet, sed solius ususfructus gaudere, seu illum esse tantum usufructuarium bonorum beneficialium, subireque omnia onera, quae usufructuario incumbunt. Itaque omnis venditio, donatio, permutatio, hypothecatio, cessio aliaque alienatio fundorum, jurium, obligationum, actionum, aliorumque bonorum cujuscumque generis ad beneficium spectantium, tam immobilium quam mobilium, saltem pretiosorum, quae servando servari possunt, ipsis strictissime sub poenis a jure statutis prohibita est, nisi de facultate Nostra et consensu Superiorum, quorum interest, fiat; et aliter facta irrita et invalida habetur [1].

Pariter repudiatio juris delati, uti hereditatis, legati, donationis beneficio factae, a beneficiato privata auctoritate et absque consensu Nostro fieri nequit. Neque ei licet alienare, vendere, aut ad patrimonium proprium adhibere res ex beneficio provenientes, ut ligna combustibilia, fimeta ex paleis beneficii, aut ipsas paleas foenumve, aliaque similia, quae ex natura suâ ad beneficii meliorationem destinantur, nisi superflua adsint, aut totidem beneficii bonificandi causâ restituantur.

Econtra beneficiati munus est, omnia beneficii jura sarta tectaque servare ac deperdita, si possit, recuperare. Ideoque tenetur praedia, agros, prata, vineas excolere, sicut id praestant boni coloni, sepes manutenere, arbores novas et eodem numero pereuntibus substituere, et alias reparationes necessarias facere, ut solet usufructuarius, nisi per consuetudinem aut conventionem aliter statutum sit: si beneficiatus huic suo muneri desit, praeter peccati

[1] C. v *Nulli liceat,* et *Si quis presbyter.* 6to De Reb. eccles. non alien. — Const. *Apost. Sedis* IV, nº 3.

reatum, ad compensationem successori ex aequo et bono pro damno emergente vel lucro cessante obligabitur, Similiter tenetur summas capitales beneficii, anniversaria, aliasve fundationes ita conservare et ad censum elocare ut, si ob neglectam legitimae hypothecae assecurationem aut aliter ipsius culpâ deperdantur, ad earum restitutionem utroque jure beneficiatus negligens obligetur.

Sub poena suspensionis a beneficio ipso facto incurrenda prohibemus cuilibet beneficiato, ne summas capitales beneficii aut fundationum quarumcumque sibi immanuatas ad proprium usum impendat, sed ad censum denuo elocet, quantocius debita cum assecuratione fieri poterit.

Ut conservationi scriptorum aliorumque documentorum parochiam spectantium melius prospiciatur, volumns, ut in quolibet presbyterio, in cubiculo pastori obvio, adsit Archivum parochiale seu armarium amplitudini parochiae proportionatum, v. gr. altitudinis 12 decimetr., latitudinis unius metri, profunditatis 5 vel 6 decimetr., portulis et serâ solidâ instructum et clave continuo obseratum. In eo aliquae construantur capsulae cum suis inscriptionibus, ad recondendas in eis varias epistolas seu chartas volantes : reliquum spatium ad recipiendos libros parochiales, etc. inserviet. In illo armario parochus constanter asservet libros baptizatorum, mortuorum, conjugatorum, confirmatorum, statum animarum, etc., et quidquid parochiam respicit : in illo recondat extracta, dispensationes matrimoniales, declarationes authenticas praepositorum civilium, aliaque omnia quae asservari et ad successores transmitti merentur : in illo custodiat circularia, litteras pastorales et mandata Episcopalia, et documenta omnia quae sive parochiam sive ecclesiam sive confraternitates spectant. Caveat autem, ne res privatas, personales huic Archivo immisceat.

Ita in casu abitus vel etiam mortis parochi ómnia ad parochiam spectantia in tuto erunt et sine opera successori remittentur. Hinc abiens ipse, in casu mortis autem decanus aut vicinus parochus, clavem archivi sedulò occlusi nonnisi successori vel vicario designato immanuet.

Beneficiorum tituli, jura, documenta et obligationes in locis, ubi parochiani aliive pro eorum redituum conservatione vades sunt, in separata reponantur cistâ sub duplici clave, quarum una beneficiato, altera gubernatori locorum tradatur, ne unus sine alio cistam aperire valeat.

Juris proin canonici et civilis est, ut beneficia ad successorem sine diminutione transeant; nec aliter nisi post amicalem, aut, si haec locum habere nequeat, juridicam, inspectionem et examinationem omnium examinandorum, singula objecta prius enarrata in statu competente fuerint reperta, acceptari debet a successore beneficii manutentio. Resignantis igitur beneficiati aut defuncti heredum onus est, cuncta ad legum canonicarum normam redigere, uti et residarium (*rentier*) novum, justum et ad titulos juraque beneficii exactum, pro neoelecto beneficiato conficere, nisi illud praedecessoris adhucdum bonum a successore acceptetur.

Ut autem beneficiorum proprietatibus et reditibus praecaveatur, et novis beneficiatis commodum praestetur, ad instar plurium dioecesium mandamus et injungimus omnibus beneficiatis, ut infrâ annum a publicatis hisce synodalibus constitutionibus, omnium titulorum, jurium, documentorum et bonorum quorumcumque ad suum beneficium pertinentium duplex conficiant inventarium, quorum unum decano tradatur, ad ejusdem in officio successores transmittendum, alterum in domo parochiali asservetur; adveniente dein novo parocho, die adeptae ab eo possessionis, decanus cum eodem inventarium verificet, et si mutatione vel additione opus sit, annotet et in ordinem redigat.

Reditus respondentes tempori quo beneficium aliquod contigerit vacare, — nisi de concessu Episcopi heredibus defuncti beneficiati, una cum oneribus consuetis obveniant, — solutis pro servitio debitis expensis, beneficio accrescunt.

§ 5. *Regulae pro divisione redituum inter neoelectum beneficiarium et praedecessorem.*

Beneficium datur propter officium; ideo « aequitati « non solum, sed etiam justitiae consonum est, ut, quo « tempore beneficii sui onera quisque tulit, per id ipse « debeat ejusdem beneficii commoda sentire [1] ». Beneficium ergo fructificat beneficiato a prima die adeptae possessionis beneficii usque ad diem dimissae possessionis, ea tamen conditione, ut intra illud tempus omnibus beneficii officiis et oneribus satisfecerit; et quidem fructificat beneficiato « singulis diebus et horis, quibus onera supportavit [2] » etsi non singulis diebus et horis, sed semel tantum in anno colligantur fructus reditusque solvantur.

Missarum fundationes et aliae hujusmodi inter bona beneficialia stricte sumpta minime recensenda videntur, quia primario saltem fundationum reditus propter earum adimpletionem dantur; attamen certum est omnino fundationum reditus in dioecesi nostra notabilem partem congruae portionis beneficiati constituere, adeoque isti reditus tanquam pars congruae beneficiati habendi sunt et dividendi.

Ut praeveniantur, quantum fas est, dissidia inter neoelectos beneficiatos et praedecessores ipsorumve heredes, intuitu divisionis redituum beneficialium, sequentes regulas adamussim servandas decernimus ac sancimus.

Omnes fructus et reditus quicumque, sive beneficii, sive fundationum, dividantur pro rata temporis, quo quis beneficium possedit [3].

[1] S. C. Congr. Acta S. Sedis. VIII, p. 201.

[2] Cardinalis De Luca. Acta S. Sedis. VIII, p. 199.

[3] S. C. Congr. consulta utrum confirmanda foret Constitutio Capitularis, quae statuerat divisionem fructuum pro rata

Unde reditus ex pecuniis in fenore positis, quorum perceptionis dies (*échéance*) tempore mutationis jam elapsa est (etsi fortasse nondum soluti essent) beneficiato discedenti ex integro debentur.

Reditus, ut aiunt, currentes, seu quorum perceptionis dies adhuc in futuro est, beneficiato discedenti debentur ex parte tantum, scilicet eidem adcrescunt a die ultimae perceptionis usque ad diem discessus. Quare pro singulis chirographis seu titulis instituenda est computatio, ut eruatur quantum ex singulis beneficiato discedenti, usque ad diem abitus, proveniat.

Reditus ex locatione bonorum sive mobilium sive immobilium beneficii vel fundationum similiter pro rata temporis dividantur. Annus autem pro hac divisione sicut pro sequentibus a 1 die Januarii ad 31 diem Decembris computetur. Eadem ratione dividantur fructus arborum, hortorum, agrorum, vel plantationum qualiumcumque sive collecti sive colligendi.

Omnia onera tum spiritualia, cum temporalia, sive beneficii, sive fundationum, eodem modo pro rata temporis dividantur. Hinc praedicta onera spiritualia Missarum et cetera aequaliter, quantum fas est, per singulos menses distribuantur.

Quoad Missarum fundationes et alias hujusmodi, quarum applicatio certis diebus aut anni temporibus affixa est, statuto tempore quidem persolvantur; sed manuale tantummodo stipendium illi retribuatur, qui fundationem persolverit.

Onera temporalia, ut tributa, vectigalia cujusvis gene-

servitii faciendam esse, re mature discussa, respondit: **Affirmative**; — et in eadem causa, ad II rescripsit: Fructus omnes beneficii, de quo agitur, a die... ad diem... anni sequentis, detractis oneribus, dividendos esse pro rata temporis, quo quis beneficium possedit, facto verbo cum Sanctissimo. Acta S. Sedis. VIII, p. 201. — XIV, p. 560.

ris et alia quaecumque quae aestimando aestimari possunt, necnon impensae pro cultura hortorum, agrorum, etc., pro seminibus terrae mandandis, pro metendis et colligendis fructibus, etc., ab utroque beneficiato pro rata temporis praestanda veniunt.

Jura stolae et alia casualia beneficiato pro tempore existenti accrescunt, aut, per vacantiam, desservitori, quem Episcopus deputaverit.

Quod ad usum bonorum seu redituum ecclesiasticorum attinet, recordari velint beneficiati, sibi dicta esse Christi verba: *Quis est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram* [1]. Familiae Christi membra praecipua sunt pauperes, orphani, viduae, quorum patres non in spiritualibus solum, sed et in temporalibus vocantur et esse debent clerici beneficio gaudentes, cum beneficialia bona ab iisdem possessa non aliâ, quam patrimonii pauperum voce nominentur tam a Patribus, quam a Conciliis; unde eorum et praesertim parochianorum tum in vita, tum in morte memores sint beneficiati.

CAPUT III

§ 1. *De Fundationibus.*

Fundationum nomine veniunt donationes et legata quaecumque ecclesiastico beneficio instituendo vel jam instituto facta. Quocirca:

1° Nullae recipiantur fundationes sine consensu Nostro, et quidem praevio si alia ab infra enumerandis imponunt onera, illarumque autographum vel saltem transcriptum quamprimum immanuetur cancellariae nostrae, ut libris fundationum inscribantur.

[1] Matth. XXIV, 45. — Luc. XII, 42.

2° Ut pia fundatorum intentio accurate impleri possit, fiat anniversariorum aliarumque fundationum liber Nobis in actu visitationis exhibendus, annotatis fundatorum nominibus cum celebrationis die ac stipendio, imo cum illorum intentione in quantum fieri potest; nuntienturque in prono praecedentis dominicae occurrentes per hebdomadam fundationes et dies illis adimplendis statuti. Insuper singularum fundationum tabella summaria in qualibet sacristia affigatur.

3° Minimum summae capitalis pro fundationibus exigendae ex decretis Praedecessorum nostrorum, quibus standum judicavimus, est sequens :

1°	Pro	missâ nec altari nec diei affixâ	Fr.	100	»
2°	»	missâ altari aut diei, vel etiam altari et diei affixâ	»	120	»
3°	»	missâ cantatâ	»	200	»
4°	»	cantandis Vesperis aut Laudibus aut uno Nocturno	»	50	»
5°	»	cantandis litaniis SS. Nominis Jesu, aut B. M. V.	»	25	»
6°	»	cantando responsorio Libera me	»	15	»
7°	»	cantandâ antiphonâ in honorem B. V. M.	»	8	»

4° Sicut Episcopi est fundationum executioni invigilare, ita ejusdem est illas reducere, pro facultate sibi a Sancta Sede concessa : quod de illis fundationibus intelligendum declaramus, quarum capitalia absque ulla administratorum culpa periissent aut imminuta fuissent.

5° Hinc, ut fundationum assecurationi, quantum in Nobis est, prospiciamus, parochis aliisque anniversariorum et legatorum piorum administratoribus districte prohibemus, ne capitalia sibi retineant nec sine legitima hypotheca ad censum tradant : quae hypotheca sit cum generalis tum specialis, et quidem in primo gradu. Sint

itaque cautissimi, ne ad summae capitalis, si pereat, restitutionem cogantur.

6° Sub iisdem conditionibus ad censum tradi et assecurari jubemus donationes seu legata, quae ecclesiis vel confraternitatibus obveniunt.

7° Edoceantur et identidem commonefiant fideles, a variis conciliis fuisse decretum, ut tanquam infideles ex ecclesia ejiciantur, qui legata pia et fidelium oblationes detinent, et tradere denegant seu morantur. Legata quod attinet, tempus solutionis exequendae per leges civiles ad annum extenditur [1].

§ 2. *De Oblationibus.*

Inter varia parochi jura recensentur **jura stolae**, seu jus percipiendi oblationes, per quas hic intelliguntur res illae mobiles quae a fidelibus, tum infra missam, tum occasione aliarum functionum ad Ecclesiae vel ministrorum ejus usum offeruntur. (*Casuel.*)

De jure communi oblationes, tam quae debentur quam quae sponte offeruntur, ad parochum pertinent. Contra

[1] Etsi Stipendia manualia fundationibus accenseri nequeant, ob quamdam tamen analogiam hic indicantur:

1°	Pro missâ absque cantu	Fr.	1	»
2°	» » missâ cantatâ	»	3	»
	Si missa celebrari debeat in sacello remoto ab ecclesia et a domo presbyterali, adduntur pro quovis horae quadrante : 50 cent.			
3°	» cantandis Vesperis aut Laudibus aut uno Nocturno	»	1	20
4°	» cantandis litaniis SS. Nominis Jesu aut B. M. V.	»	0	60
5°	» cantandó responsorio **Libera me**	»	0	40
6°	» cantandâ antiphonâ in honorem B. M. V.	»	0	20

jus tamen parochiale praescribere potest consuetudo, cujus proinde ratio est habenda. Si oblatio nullo titulo debeatur et offerens expresse intendat dare sacerdoti functionem sacram peragenti, ad hunc, non vero ad parochum, oblatio illa pertinebit.

Ad faciendas oblationes parochiani neque divino neque humano ullo praecepto obligantur, ut communiter docent canonistae. Per consuetudinem tamen induci potest obligatio determinatas ejusmodi oblationes faciendi. Insuper ex triplici titulo posse oblationes obligatorias evadere, tenent communiter doctores cum sancto Thoma [1], nempe:

« 1mo Dum debentur per modum census, pensionis aut « conventionis antea factae cum Ecclesia.

« 2do Cum debentur ex testamento, legato, donatione, « voto.

« 3tio Dum minister ecclesiae non habet congruentem « sustentationem. »

Ceterum quoties dubitatio oritur, sive de vi obligatoria consuetudinis, sive de necessitate subveniendi clero per oblationes, sive de quantitate offerendâ, sive de abusibus hâc de re introductis aut praecavendis, ad Ordinarium spectat pronuntiare [2].

Etsi nuptiarum benedictio ad proprium parochum spectet, quando tamen sacerdos extraneus nominatim a sponsis ad hanc benedictionem impertiendam rogatus fuerit, ex consuetudine et offerentium intentione oblationes occasione hujus functionis factae ad Sacerdotem fungentem, et non ad parochum, pertinere solent.

[1] 2, 2, 9, 86, a. 1.
[2] Conc. Trident. Sess. XXII. Decr. de observandis in celebratione Missae.

APPENDIX

I

PROFESSIO FIDEI TRIDENTINÆ A PIO IV PRÆSCRIPTA

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula. quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei unigenitum; et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis; et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in

remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum; et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae Legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre: et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et adprobatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari, Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos

esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.

Caetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo, et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, rejectas et anathematizatas ego pariter damno, rejicio et anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

PROFESSION DE FOI

Moi, N. N., je crois fermement et je professe en général et en particulier tous les articles contenus dans le symbole de la Foi admis par la sainte Eglise romaine ; savoir :

1. Je crois en un seul Dieu, le Père tout-puissant, qui a fait le ciel et la terre, et toutes les choses visibles et invisibles ; et en un seul Seigneur Jésus-Christ, Fils unique de Dieu, né du Père avant tous les siècles, Dieu de Dieu, lumière de lumière, vrai Dieu du vrai Dieu ; qui a été engendré et non pas fait, consubstantiel au Père ; par qui tout a été fait ; qui est descendu des cieux pour nous, hommes, et pour notre salut, a pris chair de la Vierge Marie par l'opération du Saint-Esprit et s'est fait homme ; qui a été crucifié pour nous sous Ponce-Pilate, a souffert et a été enseveli ; qui est ressuscité le troisième jour, selon les Ecritures ; qui est monté au ciel, est assis à la droite du Père, et viendra de nouveau plein de gloire juger les vivants et les morts ; dont le règne n'aura point de fin. Je crois au Saint-Esprit Seigneur et Vivificateur, qui procède du Père et du Fils, qui est adoré et glorifié conjointement avec le Père et le Fils, qui a parlé par les Prophètes. Je crois l'Eglise une, sainte, catholique et apostolique. Je confesse un seul baptême pour la rémission des péchés, et j'attends la résurrection des morts et la vie du siècle à venir. Ainsi soit-il.

2. J'admets et embrasse très fermement les traditions des Apôtres et celles de l'Eglise, avec toutes les autres observances et constitutions de la même Eglise.

3. J'admets aussi la sainte Ecriture selon le sens qu'a adopté et adopte notre sainte mère l'Eglise à laquelle il appartient de juger du vrai sens et de l'interprétation des saintes Ecritures, et je ne la recevrai ni interpréterai jamais que selon le consentement unanime des Pères.

4. Je professe encore qu'il y a sept Sacrements de la loi nouvelle, véritables et proprement dits, institués par Jésus-Christ Notre-Seigneur, et nécessaires au salut du genre humain, quoiqu'ils ne le soient pas tous à chacun en particulier ; savoir : le Baptême, la Confirmation, l'Eucharistie, la Pénitence, l'Extrême-Onction, l'Ordre

et le Mariage : que ces Sacrements confèrent la grâce, et que parmi eux le Baptême, la Confirmation et l'Ordre ne peuvent être réitérés sans sacrilège. Je crois aussi et j'admets les cérémonies reçues et approuvées par l'Eglise catholique dans l'administration solennelle de tous ces Sacrements.

5. J'embrasse et je reçois tout ce qui a été défini et déclaré au saint Concile de Trente touchant le péché originel et la justification.

6. Je professe pareillement que, dans la messe, on offre à Dieu un sacrifice véritable, proprement dit et propitiatoire pour les vivants et pour les morts ; et que dans le très saint Sacrement de l'Eucharistie il y a vraiment, réellement et substantiellement le Corps et le Sang avec l'Ame et la Divinité de Notre-Seigneur Jésus-Christ ; et qu'il s'y fait un changement de toute la substance du pain au Corps et de toute la substance du vin au Sang, changement que l'Eglise catholique appelle *transsubstantiation*. Je confesse aussi que sous une seule des deux espèces on reçoit Jésus-Christ tout entier, et un vrai sacrement.

7. Je tiens fidèlement qu'il existe un Purgatoire, et que les âmes qui y sont détenues sont soulagées par les suffrages des fidèles. Je tiens de même que les Saints qui règnent avec Jésus-Christ doivent être honorés et invoqués, qu'ils offrent à Dieu leurs prières pour nous, et que leurs Reliques doivent être vénérées.

8. J'assure fermement qu'il faut avoir et garder les images de Jésus-Christ, de la Mère de Dieu toujours Vierge et des autres Saints, et qu'il faut leur rendre l'honneur et la vénération qui leur sont dus.

9. J'affirme aussi que Jésus-Christ a laissé dans son Eglise le pouvoir d'accorder des Indulgences, et que l'usage en est très salutaire au peuple chrétien.

10. Je reconnais que la sainte Eglise catholique, apostolique et romaine, est mère et maîtresse de toutes les

églises; et je promets et jure une vraie obéissance au Pape, successeur de saint Pierre prince des Apotres, et vicaire de Jésus-Christ.

11. Je reçois de même sans aucun doute et je professe tous les autres points qui sont enseignés, définis et déclarés par les saints Canons et par les Conciles œcuméniques, principalement par le saint Concile de Trente, et par le Concile œcuménique du Vatican, surtout touchant la primauté et le magistère infaillible du Pontife Romain; et en même temps je condamne, je rejette et anathématise tout ce qui leur est contraire et toutes les hérésies que l'Eglise a condamnées, rejetées et anathématisées.

9. *Infamia mulieris*, ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata, vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

10. *Revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est: quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno, praesertim feminae. (C. VII *de Consanguin.*) At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. (Sess. XXIV, c. V *de Reform. matrim.*)

11. *Periculum matrimonii mixti*, vel *coram acatholico ministro celebrandi*. Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis spreta Ecclesiae auctoritate, justa invenitur dispensandi causa, quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis et defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur. Id docuit haec S. Congregatio in instructione die 17 Apr. 1820 ad Archiepiscopum Quebecensem data. Pariter cum Vicarius Apostolicus Bosniae postulasset, utrum dispensationem elargiri posset iis Catholicis, qui nullum aliud praetexunt motivum, quam vesanum amorem, et simul praevidetur, dispensatione denegata, eos coram judice infideli conjugium fore inituros, S. Congregatio S. Officii in Fer. IV, 14 Aug. 1822 decrevit: « respondendum Oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus sibi in Form. II commissis, prout in Domino expedire judicaverit. » Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico Matrimonium celebrare audeat.

12. *Periculum incestuosi concubinatus*. Ex superius memorata instructione an. 1822 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo, atque evidenti aeternae saluts discrimine, adhibendum esse.

13. *Periculum matrimonii civilis*. Ex dictis conse-

quitur, probabile periculum quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat *civile*, ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.

14. *Remotio gravium scandalorum.*

15. *Cessatio publici concubinatus.*

16. *Excellentia meritorum*, cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de Religione sit optime meritus.

Hae sunt communiores, potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent; de quibus copiose agunt theologi, ac sacrorum canonum interpretes.

Sed jam se convertit Instructio ad ea, quae praeter causas in litteris supplicibus pro dispensatione obtinenda, de jure vel consuetudine, aut stylo Curiae exprimenda sunt, ita ut si etiam ignoranter taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur. Haec autem sunt:

1. *Nomen et cognomen* Oratorum, utrumque distincte, ac nitide ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum.

2. *Dioecesis originis* vel *actualis domicilii*. Quando Oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant.

3. *Species* etiam *infima* impedimenti, an sit consanguinitas, vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus, vel matrimonio rato; in impedimento *criminis*, utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii: in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.

4. *Gradus consanguinitatis* vel *affinitatis,* aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta vel transversa; item an Oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris, quam ex parte matris.

5. *Numerus impedimentorum,* e. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens, sive impediens.

6. *Variae circumstantiae,* scilicet an matrimonium sit contrahendum, vel contractum; si jam contractum, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; item an praemissis denunciationibus, et juxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti.

7. *Copula incestuosa* habita inter sponsos ante dispensationis executionem, sive ante, sive post ejus impetrationem, sive intentione, facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta. Si haec reticeantur, subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, et legalis, nec non et publicae honestatis declaravit S. Congregatio S. Officii fer. IV, 1 Augusti 1866. In petenda vero dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus lineae collateralis, si impedimentum nedum ex matrimonio consummato cum defuncto conjuge Oratoris vel Oratricis, sed etiam ex copula antematrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur, necesse non est, ut mentio fiat hujusmodi illicitae copulae, quemadmodum patet ex responso S. Poenitentiariae diei 20 Martii 1842, probante s. m.

Greg. XVI ad Episcopum Namurcensem, quod generale esse, idem Tribunal litteris diei 10 Dec. 1874 edixit.

Haec prae oculis habere debent non modo qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt; sed etiam qui ex pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite, ut par est, utantur.

Datum ex Ædibus S. C. de Prop. Fide die 9 Maii 1877. (*Acta S. Sedis*, vol. X, pag. 291.)

Ad propositum dubium: *an actus qui vulgo dicitur matrimonium civile, pariat impedimentum justitiae publicae honestatis*, S. Congregatio Concilii die 13 Martii 1879 respondit: *Negative: et consulendum Sanctissimo, ut id declarare ac statuere dignetur*. Facta autem de praemissis relatione Sanctissimo Domino Nostro per R. P. D. Secretarium S. C. C. in audientia diei 17 ejusdem mensis, Sanctitas Sua resolutionem approbare ac confirmare dignata est ac jussit fieri decretum.

Exinde colligitur:

1° Actum illum, quem vulgo matrimonium appellant civile, ab Ecclesia semper detestari, quatenus per ipsum intendatur unio legitima et maritalis; tolerari tamen tanquam caeremoniam mere civilem, qua catholici, vel jam matrimonio religioso legitime conjuncti, vel mox conjungendi, propriae et prolis utilitati consulere student;

2° Hanc tamen caeremoniam, licet ab Ecclesia ita toleratam, prouti jacet et communiter accipitur, cuicumque effectui ecclesiastico gignendo imparem esse; tum ob defectum jurisdictionis in ferente legem, tum ob defectum intentionis in contrahentibus, quos, cum catholici sint, catholice agere praesumendum est;

3° Hinc dictam caeremoniam in se perspectam, nisi adjuncta in casibus particularibus contrarium suadeant,

considerari non posse neque uti sponsalia neque uti matrimonium clandestinum in sensu Ecclesiae; ideoque opinionem eorum, qui vel uti sponsalia vel uti matrimonium clandestinum, nulla facta distinctione, valere contendunt, omnino esse explodendam;

4° Varias demum theologorum et canonistarum opiniones circa matrimonium clandestinum, quatenus inducat vel non impedimentum justitiae publicae honestatis, in eodem statu manere ac erant ante hujusmodi S. Congregationis resolutionem. (Cf. *Acta S. Sedis*, vol. XII, p. 176.)

VII

FORMULÆ INSCRIPTIONUM IN LIBRIS PAROCHIALIBUS

A. INSCRIPTIO BAPTISMI

Anno..., die... mensis... (*annus et dies mensis non numeris arithmeticis, sed verbis exprimi debent, sic*: Anno millesimo octingentesimo octogesimo quinto, die decimo nono Februarii, hora undecima antemeridiana, etc.), horâ... antemeridianâ (*vel* pomeridianâ) natus (*vel* nata), et eodem die (*vel* die...) a me infra scripto (*vel* a R. D. N. vicario...) in ecclesia parochiali s. N. loci N. baptizatus (*vel* baptizata) est Petrus filius (*vel* Anna filia) Josephi Brun ex N., et Mariae natae Blanc ex N., conjugum habitantium in loco N. hujus parochiae. — Patrini fuerunt Petrus Brun ex N. frater patris (*vel* N. filius N. ex N.), et Anna Blanc ex N. soror matris (*vel* N. filia N. *seu* conjux *vel* vidua N. ex N.)

Carolus Dupain, parochus.

Si infans non fuerit ex legitimo matrimonio natus, accurate inscribatur nomen baptismale et gentilicium

puerperae hujusque patris, ac locus originis et domicilii ejusdem:

Anno..., die... (*ut supra*) baptizatus (baptizata) est Simon filius (*vel* Thecla filia) Barbarae filiae Titi Rouge ex N. habitantis in loco N. hujus parochiae. — Patrini fuerunt... (*ut supra*).

Si dein infans per sententiam judicis genitori adjudicatur, in margine infra illius nomen notetur: Per sententiam judicis (*vel* tribunalis) adjudicatus (adjudicata) viro N. N. ex N. Vide infra pag...

Item si ejus genitores postea legitimum inierunt matrimonium, itidem in margine notetur: Per subsequens matrimonium legitimatus (legitimata). Vide libr. Matrim. pag...

Si infans ex genitoribus matrimonio civili tantum, vel alias invalido aut dubio conjunctis natus sit, omissâ designatione legitimus *vel* illegitimus *indicetur tantum ratio, quae reddit matrimonium nullum aut dubium:*

Anno..., die... (*ut supra*) baptizatus est Fridericus filius Samuelis Kurz ex N. pagi Bernensis et Berthae Lang ex N., conjunctorum Friburgi a ministro acatholico (*vel* matrimonio ob impedimentum dirimens... invalido). — Patrini fuerunt... (*ut supra*).

Si infans expositus reperitur, inscribatur dies et hora ac locus, quando et ubi inventus sit, et quot dierum verisimiliter fuerit; et baptizatur sub conditione:

Anno..., die... (*ut supra*) in ecclesia parochiali s. N. loci N. sub conditione baptizatus est Lucas Sauvé puer (baptizata est Lina Sauvé puella) octo circiter dierum ex ignotis parentibus natus (nata), et die... mensis... hora... prope ecclesiam N. (*vel in tali loco*) repertus (reperta). — Patrini fuerunt... (*ut supra*).

Si infans ob imminens mortis periculum domi baptizatus sit, ita scribatur:

Anno..., die... (*ut supra*) natus, et ob imminens mortis periculum mox domi ab obstetrice probata N. rite, ut mihi retulit N. N. testis fide dignus, baptizatus est Sebastianus filius N. N. (*ut supra*); die vero... mensis... portatus est ad ecclesiam parochialem s. N. loci N., eique caeremoniae baptismales ab infra scripto adhibitae sunt. — Patrini fuerunt...

Si stante dubio de valore baptismi domi collati infans in ecclesia sub conditione rebaptizatus fuerit, hoc pariter exprimatur:

Anno..., die... (*ut supra*) natus, et ob imminens mortis periculum mox domi a N. N. baptizatus est Claudius filius... (*ut supra*); die vero... mensis... (*vel* ejusdem mensis) portatus est ad ecclesiam parochialem s. N. loci N., eique ab infra scripto, stante dubio de valore baptismi domi collati, baptismus sub conditione iteratus, et caeremoniae baptismales adhibitae sunt. — Patrini fuerunt...

B. INSCRIPTIO MATRIMONII

Anno..., die... mensis..., praemissâ unâ denunciatione cum dispensatione super aliis duabus (*vel* denunciationibus praemissis tribus continuis diebus festivis), visâ attestatione syndici datâ die... mensis..., nulloque impedimento detecto (*vel* obtentâ dispensatione super impedimento... *designatur species impedimenti dispensati, et indicatur dies et annus dispensationis*), a me infra scripto parocho (*vel* a R. D. N... rite delegato) in ecclesia parochiali s. N. loci N. (*vel* in sacello s. N. loci N.) matrimonialiter per verba de praesenti conjuncti (et postea in missae celebratione benedicti *si revera sponsi infra missam benedicti fuerunt*) sunt: Ursus, filius legitimus Julii Kolly ex Plasselb et Luciae natae Pürro ex Planfayon conjugum, natus in La-Roche die 9 Junii 1860 (*si jam matrimonio junctus priorem uxorem morte amisit*

additur viduus), ex una parte ; — et Rosa, filia legitima Antonii Rapo ex Boesingen et Agathae natae Meuwly ex Gurmels conjugum, nata in Marly die 23 Novembris 1861 (*si jam matrimonio juncta priorem maritum morte amisit, additur* vidua *seu* relicta defuncti Pancratii Schwarz ex Giffers), ex altera parte ; praesentibus testibus Marco Kolly ex Plasselb et Simone Rapo ex Boesingen, sponsorum fratribus.

(*Sign.*) Leo Aeby, parochus.

Sponsi quam accuratissime inscribantur in libro Matrimoniorum sicuti in libro Baptizatorum, indicando eorum nomina baptismale, gentilicium, utriusque parentis, diem et annum nec non locum eorum nativitatis : idcirco parochus consulat eorum inscriptionem baptismalem, vel si alibi baptizati fuerint, exigat extractum inscriptionis baptismalis.

Si alteruter vel uterque parens sponsorum jam obiit, eorum nomini praeponitur annotatio defuncti, defunctae.

Si alteruter sponsorum est ex alia parochia, ideoque in illa etiam denunciationes futuri matrimonii factae sunt, hoc etiam in libro Matrimoniorum exprimatur ita : denunciationibus praemissis... uti pro sponsa (sponso) ex illius parochi scripto servato apud me apparet ; visa attestatione syndici.....

Matrimonium mixtum cum dispensatione Sanctae Sedis initum sic inscribatur :

Anno..., die... mensis..., praemissis denunciationibus a lege civili praescriptis, visa attestatione syndici data die... mensis..., et obtenta a Sancta Sede dispensatione super impedimento disparitatis cultus, matrimonialiter conjuncti sunt Samuel, filius legitimus Isaaci Freitag ex Morat et Susannae natae Mejer ex Freschels conjugum, acatholicus natus in Morat die... anno... ex una parte ; —

et Martha, filia legitima Francisci Spielmann ex Courtion et Agnetis natae Steuby ex Cordast conjugum, catholica nata in Villarepos die...; praesentibus testibus... (*ut supra*).

C. INSCRIPTIO SEPULTURÆ

Anno..., die... mensis..., horâ... antemeridianâ (*vel* pomeridianâ) mortuus (sacramentis munitus), et die... ejusdem mensis in coemeterio ecclesiae parochialis s. N. loci N. a me infra scripto parocho (*vel* a R. D. N. sacellano) sepultus est Amedeus, filius legitimus Petri Contat et Barbarae natae Steiner, ex Prez, natus in Cugy die 20 Aprilis 1866, habitans in loco N. hujus parochiae.

(*Sign.*) Conradus Zosso, parochus.

Si defunctus erat minorennis, ejus nomini adjungitur annotatio parvulus (parvula), puer *seu* juvenis (puella); *si erat quidem majorennis, sed nunquam matrimonio junctus, ejus nomini additur* caelebs; *si vero matrimonio junctus erat, post indicationem nativitatis additur nomen uxoris (mariti), cum nota* viduus (vidua) *si conjux jam obiit, ita:*

Anno..., die... (*ut supra*) sepultus est Albertus parvulus, *vel* puer, *vel* juvenis, *vel* caelebs, filius Brunonis Noth et Clarae natae Kurz ex N., natus in Broc die..., habitans in...; *vel*

Anno..., die... (*ut supra*) sepultus est Paulus filius..., natus in Morlon die 12 Aprilis 1819, maritus (*vel* viduus defunctae) Annae natae Bapst ex Botterens, habitans in loco N. hujus parochiae; *vel*

Anno..., die... (*ut supra*) sepulta est Thecla filia defuncti Julii Bongard et defunctae Martinae natae Dousse, ex Ependes, nata in Arconciel die 3 septembris 1840, uxor (*vel* vidua defuncti) Laurentii Thomet ex La-Roche, habitans in loco N. hujus parochiae.

(*Sign.*) N. N., parochus.

Si defunctus non potuit extrema Sacramenta recipere, annotatio Sacramentis munitus *simpliciter omittitur.*

Baptismus inscribitur in libro Baptizatorum ecclesiae, in qua collatus fuit, et si infans non esset parochianus aut civis illius parochiae, insuper in libro Baptizatorum suae parochiae aut suae originis seu civitatis.

Matrimonium inscribitur in libro Matrimoniorum parochiae, in qua neoconjuges domicilium constituunt; et si non essent cives illius parochiae, insuper in libro Matrimoniorum parochiae originis seu civitatis mariti.

Sepultura inscribitur in libro Defunctorum parochiae, in cujus coemeterio corpus depositum est.

Rituale Romanum praecipit insuper parochis **Librum Status animarum** et tradit ejusdem formam. Familia quaeque distincta in libro notatur, intervallo relicto ab unaquaque ad alteram subsequentem, in quo singillatim scribantur nomen, cognomen, aetas (dies et annus nativitatis) singulorum, qui ex familia sunt, vel tanquam advenae in ea vivunt. Qui ad sacram Communionem admissi sunt, signo **C** notentur. Qui Sacramento Confirmationis sunt muniti, habeant signum **Chr.** Qui ad alium locum habitandum accesserint, eorum nomina subductâ lineâ notentur. Hac igitur ratione fiat:

Pagus **Bürglen** *vel* Platea **Grand'rue:**
Familia **Ackermann** N°...
Ackermann Claudius, natus 7 Aprilis 1831, pater.
... Anna nata Bapst ex Fromat, n. 27 Julii 1833, mater.
... Petrus n. 5 Nov. 1854, filius.
... Aloysius n. 21 Jun. 1857; Romae in excubiis Sanct. S.
... Julia n. 22 Mai 1859; soror Nicasia in Montorge.
... Agnes n. 21 Januar. 1861, uxor Andrey in Broc.
... Bruno n. 6 Octob. 1868, C., Chr.
... Lucia n. 13 Decemb. 1870, C., Chr.

Jacobus Aeby ex S. Silvester, n. 23 Febr. 1829, caelebs, famulus.

Catharina Pellet ex Matran, n. 7 August. 1833, caelebs, ancilla.

In parochiis extensis earum pagi vel plateae recenseantur vel ordine alphabetico, vel secundum eorum situm vel alio ordine rationali, ut facile reperiri queant singulae familiae.

VIII

CONSTITUTIO APOSTOLICÆ SEDIS

QUA CENSURÆ LATÆ SENTENTIÆ LIMITANTUR

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro jampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae, ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenamque improborum licentiam coercendam et

emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri, sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri Nobisque proponi jussimus; ut diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere opporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae

Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus:

1.

Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

2.

Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.

3.

Schismaticos et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.

4.

Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5.

Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuntios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

6.

Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.

7.

Cogentes sive directe sive indirecte, judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae.

8.

Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes.

9.

Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato Ejusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

10.

Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos licet non adprobatus ad confes-

siones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

11.

Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

12.

Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

Excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ

Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus:

1.

Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi à poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema* 7 Julii 1745, *Ubi primum* 2 Junii 1746, *Ad eradicandum* 28 Septembris 1746.

2.

Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

3.

Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices vel qualemcumque operam aut favorem praebentes; nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

4.

Nomen dantes sectae *Massonicae* aut *Carbonariae*, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur; nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.

5.

Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare jubentes, aut violantes.

6.

Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Const. *Decori* praescriptam.

7.

Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes.

8.

Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

9.

Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.

10.

Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

11.

Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum,* 2 Januarii 1569.

12.

Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.

13.

Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V, *Admonet nos* quarto Kalendas

Aprilis 1567; Innocentii IX, *Quae ab hac sede,* pridie nonas Novembris 1591; Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam* 26 Junii 1592, et Alexandri VII *Inter ceteras,* nono Kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus.

14.

Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

15.

Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

16.

Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

17.

Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

Excommunicationes latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ

Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subjacere declaramus:

1.

Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere

praesumentes; nec non omnes cum aliquá ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

2.

Procurantes abortum, effectu sequuto.

3.

Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatæ

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subjacere declaramus:

1.

Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2.

Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii; ejusve Sacri tribunalis scripturas diripientes aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

3.

Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* De Reb. Ecc. non alienandis.

4.

Negligentes vel culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a

Praedecess. Nostris Gregorio XV, Constit. *Universi* 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV, Constit. *Sacramentum poenitentiae* 1 Junii 1741.

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Suspensiones latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ

1.

Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras apostolicas de sua promotione.

2.

Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3.

Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris

dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

4.

Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

5.

Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

6.

Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio; eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

7.

Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario postea quam in praedicto examine rejecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in

domo Urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta latæ sententiæ reservata

1.

Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

2.

Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a jure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, coetuum locorumque piorum cujus-

cumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus, et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita, ac individua, mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis vel non in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV, cap. VI de reform.* in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum

Generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cujuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus octobris, Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

MARIUS CARD. MATTEI, Pro-Datarius.

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.

Visa de Curia

DOMINICUS BRUSI

I. CUGNONI.

Loco ✝ Plumbi.

IX

CASUS EPISCOPO RESERVATI

Casus in Dioecesi Episcopo reservati sunt sequentes:

I. Omnes casus Papales, seu juxta Constitutionem *Apostolicae Sedis* Romano Pontifici reservati, quando et quoties fiunt Episcopales.

II. Tres casus in praedicta Constitutione Episcopis reservati.

III. Insuper Episcopo reservatos declaramus casus sequentes:

1. Peccatum eorum, qui matrimonium mixtum contrahunt sine dispensatione Sanctae Sedis.

2. Peccatum eorum, qui matrimonium tantum civile ineunt, et neglecto matrimonio religioso, sola caeremonia civili freti, in tali conjunctione persistere praesumunt.

3. Peccatum eorum, qui cum haereticis et schismaticis sacrilege in sacris communicant, id est, qui ab eis sacramenta suscipiunt, aut suis administrari curant; et qui active schismati, sive per votationem intrusorum, sive per confectionem legum schismaticarum favorem praestant ac participant.

Iste casus jam implicite continetur in Constitutione *Apostolicae Sedis* inter Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reserv. n 1. et 3.

Casus Nobis reservatos minuimus in aedificationem et non in destructionem, ne reservatio severior peccatores a confessione deterreat aut confessariis difficultates creet, ita tamen ut salutarem fidelibus horrorem peccati inspiret; idcirco casus Nobis reservatos etiam ad ignorantes reservationem extendimus.

Jam vero casus Papales fiunt Episcopales, seu Episcopi possunt absolvere a casibus Papae reservatis, dum

1. sunt occulti [1]; 2. Episcopi absolvere possunt a casibus Papalibus etiam notoriis seu publicis omnes fideles suae dioecesis, qui ob legitimum impedimentum sine magno incommodo Apostolicam Sedem adire nequeunt, uti viduas, senes, valetudinarios, pauperes, artifices, agricolas et omnes qui labore manuum sibi victum lucrantur, et qui sub alterius potestate sunt, uti uxores, etc., ne ex dilatione absolutionis nimium animabus periculum immineat; 3. Qui a casibus Papalibus absolvere valet, potest quoque absolutionem a censuris concedere quae eisdem annexae sunt, eoquod casus Papales plerumque reserventur ob censuram; 4. A facultatibus, quibus Episcopi pollent, absolvendi a casibus S. Sedi reservatis, excipiendi semper sunt casus reservati in bulla Benedicti XIV *Sacramentum poenitentiae*: attentatio absolutionis personae complicis in materia turpi; et falsa denunciatio sacerdotis de sollicitatione. Acta, vol. II, pag. 673.

Tria requiruntur ex consuetudine Ecclesiae, ut peccatum reservatum censeatur; scilicet ut sit: 1. mortale; 2. externum; 3. opere consummatum, non vero tantum attentatum, nisi aliud constet ex declaratione expressa reservantis. Praeterea debet esse certe commissum et quidem a pubere, et certo reservatum.

Nulla est reservatio in articulo mortis. Omnes igitur sacerdotes approbati, et, ipsis deficientibus, sacerdotes quicumque ab omnibus peccatis et censuris tunc absolvere possunt [2]; sed quoad censuras cum onere, si convaluerint se praesentandi Superiori vel delegato, quando censura est notoria aut res ad forum contentiosum deducta, aut lex ipsa talem obligationem statuit.

1 Liceat Episcopis..... in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per se ipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum vicariis, sit permissum. Conc. Trident. Sess. XXIV de Reform. cap. 6.

2 Conc. Trident. Sess. XIV, cap. 7, De casuum reservatione.

INDEX ALPHABETICUS

MATERIARUM PRÆSENTIUM STATUTORUM

(Numerus Romanus indicat partem, v. gr. II = Pars II De cultu, IV = Appendix, etc.; numerus arabicus designat paginam illius partis.)



EMENDANDA

PARS II

Pag. 45, nº 4 *lege:* Quod qualitates Confessariorum ad licitam Sacramenti Pœnitentiæ administrationem eorumque officia attinet, consulantur probati theol. Moralis auctores. Casus reservatos autem vide in Appendice his Constitutionibus adjuncta pag. 55.

Pag. 56, lin. 16 *dele :* alia.

IN APPENDICE

Pag. 33, lin. 19, nº 7 *adde :* hæc præscriptio revocata est : vide pars II, pag. 61, nota.

Pag. 37, lin. 22 et 23, et pag. 38, lin. 28 et 29 *dele :* visâ attestatione syndici data die... mensis...



